CAROLI
DE AQUINO
SOCIETATIS JESU
CARMINUM
Tomus I.





ROMÆ, MDCCI.
Ex Typographia Antonii de Rubeis
in Platea Cerensi.


Superiorum Permissu.

THYRSUS GONZALEZ

Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu.

CUM librum, cui titulus: *Carminum Tomus Primus*, à P. Carolo de Aquino Societatis noſtræ Sacerdote compoſitum, aliquot ejuſdem Societatis Religioſi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet ita videbitur: cujus rei gratiâ has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 14. Decembris 1700.

Thyrſus Gonzalez.



Imprimatur,



Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacr. Pal. Apoſtolici.

Dominicus Belliſar. de Bellis Epiſc. Melphicten. Viceſg.



Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinus Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.

Hoc

Hoc I. Tomo continentur

Epigrammatum Libri IV.
Miſcellaneorum Liber I.
Anacreon recantatus.



EPIGRAMMATUM
LIBER I.
AD PUERUM JESUM
Verbum abbreviatum.

EPIGRAMMA I.

INgeniosa vocant Vates Epigrammata, ludunt
  Candida quæ brevibus carmina culta modis.
Humanos, DIVINE PUER, collectus in artus
  Tu quoque dum magni ludis amoris opus,
Annue (namq; habeant tibi solùm inscripta nitorem)
  Ante tuos properent Carmina nostra pedes.
Argutos à te lusus concludere discent:
  Pulchrior adstricto clausula nulla DEO.

AD TUMULUM
JOANNIS III.
POLONIÆ REGIS.

EPIGRAMMA II.

ADde novos cineri flores; venerare jacentem,
  Qua pugnante stetit celsa VIENNA, manum;
Quæ si cessasset; Getici fortasse Tyranni
  Tu quoque jam ferres, qui legis ista, jugum.

JULIUS CÆSAR,

Amputato Pompeji capite inspecto, lacrymas fundit.

EPIGRAMMA III.

NOn Cilicum messes, nec odoris balsama succis
 Æternant Cineres, Magne superbe, tuos:
Balsama Cæsarei sunt immortalia luctus;
 Ille liquor totâ plus valet Arabiâ;
Seù verax, seù ficta fluat tibi lacryma, CÆSAR,
 Extinctum fletus laudat uterque Ducem;
Lacryma namque novos verax testatur amores;
 Testatur veteres lacryma ficta metus.

ALIUD

EPIGRAMMA IV.

EFfusis quamvis, CÆSAR, tibi fletibus undent
 Pectora, fata tamen non satis ista gemis.
Tunc dignè fleres hæc funera; tradere posset
 In lacrymas oculos si tibi ROMA suos:
Verum ROMA oculos meliores servat in usus;
 Nimirum cladem cernat ut illa tuam.

ALIUD

ALIUD
EPIGRAMMA V.

IN lacrymas CÆSAR ſolvit ſua lumina, Magni
Avulſum Phario dum videt enſe caput.
O quantum humani Pharſalia ſanguinis hauſit,
Has tandem ut poſſet fundere CÆSAR aquas!

AD
MARTINUM LUTHERUM
EPIGRAMMA VI.

FOedanti tibi cuncta, lutum cognomina; nomen
Omnia turbanti Mars tibi ritè dedit.

AD
CHRISTI DOMINI
In Cruce pendentis effigiem ſcriptorio calamo punctim expreſſam.

EPIGRAMMA VII.

NOn elephas, NUMEN, tua funera ſectus adumbrat;
Succina nec lento cortice gutta fluens;

Lucida non ſimulant pretioſæ frigora rupis;
Imo quæque rubet virga reſecta mari:
Pagina ſola refert, ictu quæ ſaucia crebro
Atras Dedaleæ cuſpidis hauſit aquas:
Sed, ſi ſola tuum componunt vulnera corpus,
Hæc primæ effigies nomina laudis habet:
Nam, Calamo punctim ſemper feriente papyrum,
Hoc etiam ſolo vulnere conſtat opus.

PERTARITUS LONGOBARDORUM REX *armatos hoſtes declinat, dum pelle ab Urſo detracta contectus, ipſe Urſum aſſimilat.*

EPIGRAMMA VIII.

INduis Urſinis, PRINCEPS, dum corpora ſetis,
Hoſtiles rara decipis arte manus.
Hæc pellis Cœlum, non Parrahaſis Urſa teneret;
Illic ſi poſſet fraudibus eſſe locus.
Felix, ne properæ ſentiret frigora mortis,
Quæ texit Dominum pellis amica ſuum.

A L I U D

EPIGRAMMA IX.

FOrtunam accuſes, quod bellua contegat horrens,
Cui veſtis Serum ſtamine texta fuit.

Sed

Sed PERTARITUM bene si perpendis utrumque;
Plus fœdo inclusus vellere lucis habet:
Nunc saltem spoliis discit clarere ferarum;
Vermiculi exuviis ante superbus erat.

AD CRISPINUM

Noctu per vias, amatorias cantilenas modulantem.

EPIGRAMMA X.

CUm, CRISPINE, meam prętergraderere fenestram;
Mollia concubiâ carmina nocte canens,
Tu mihi succenses; nimias effuderit undas
Peluis in immeritum quod jaculata caput:
Ignes audieram clamantem, incendia, flammas;
Ustum nescio quâ teque perire face:
Quid facerē? ad subitum ut mos est clamātibus ignem;
Adduxi promptas commiseratus aquas.

Vulcani Statua in Fonte.

EPIGRAMMA XI.

VULCANUM, Ætnæo dum sudat anhelus in antro,
Urebat longo parta labore sitis:
Ad fontem properat; totumque in pectore condit;
Aruit absorpto nuda liquore silex:

Nais

Nais aquæ custos, fumoso irata Magistro,
Redde, ait, ereptas, improbe, fontis opes.
Jamque fugam parat ille; fugam natura negabat;
Arcanoque pedes diriguere gelu.
Grandia marmorea durescunt membra figura:
Mutato rident Numine Najades.
Ore, sinu, latices fundens, quas gutture vasto
Sustulit, æterno fœnore reddit aquas.

AD LINUM, *qui malum librum Authoris censuræ subjecerat.*

EPIGRAMMA XII.

OMnes mi unguiculi perîstis, omnes;
Sacer vos malè perdidit libellus,
Nugarum satur, atque ineptiarum,
Posset, ut juga Caucasi nivalis,
Thermas reddere qui Neronianas.
Tractu perpete morsiuncularum
Malas dum foditis, rudes tabellas,
Iratas Venerique, Gratiisque;
Ægri somnia; Tethyosque tantùm
Dignas, aut Amathuntidos Marito;
Omnes mi unguiculi perîstis, omnes.
Sed tu sic iterum inquinare chartas
Si pergis, LINE; Cum libido mentem
Afflarit mala; si sapis, Britannos
Censores tibi comparabis Ursos,

CIMO.

CIMONEM *captivum Filia lacte clam pascit.*

EPIGRAMMA XIII.

UBeribus natæ innexum, colloque reclivem
Ut Pietas celso vidit ab axe Patrem,
Erubuit, demissa genas; sua pectora & anceps
Admota explorat terque, quaterque manu.
Furtivo Patrem reficit quæ lacte Puellam,
Ubera namque sibi surripuisse timet.

ALIUD

EPIGRAMMA XIV.

DUm lacti lacrymas misceret nata Parenti,
Has dolor; hoc, dixit, sed tibi fundit amor.
Ille refert; lac dulce licèt sit, Filia; in istis
Nescio quid lacrymis dulcius esse puto.
Ritè probas lacrymis te natam; lacte parentem;
Quæ simul es misero nata, parensque Patri.

AD

AD
P. SYLVESTRUM MAURUM
in Theologicis disciplinis Praeceptorem meum Aristotelis opera Periphrasi nitidissima illustrantem.

EPIGRAMMA XV.

EXponis nitidè, veluti caligine sacra
  Quod prius obductum, MAURE, latebat opus.
Candidus Eloquio non hæres anxius usquam;
  Et salebra æquatum nulla retardat iter.
Accessisse juvat: Nimirum hoc fonte recepta,
  Clara Stagiræi Solis Imago nitet.

ALIUD
EPIGRAMMA XVI.

UNum subsequeris, præcellis & omnibus unus;
  Exemplum, exemplar tuque secutus, eris.
Tene sequi metuat Ductorem cœtera turba,
  Ipsum qui certa dirigis arte Ducem?

AD

AD COSMUM III. MAGNUM ETRURIÆ DUCEM,

Cum LAURETANÆ VIRGINIS *Ædiculam de genu verreret.*

EPIGRAMMA XVII.

EXpiet ut vitæ ſordes, animumque nocentem,
VIRGINIS Hoſpitium plurimus Hoſpes adit:
Sed qui purum animum ſacras inducit in Ædes,
Marmora, quæ ſolum tergere poſſit, habet.

ALIUD

EPIGRAMMA XVIII.

CUm Reges animo ſuperes; ditione laceſſas,
Quod deſunt, querimur, Regia ſceptra tibi:
Sed, quo VIRGINEÆ mundas ſacraria cellæ,
Verriculo invideant Regia ſceptra tuo.

ALIUD

EPIGRAMMA XIX.

GRande pavimentum ſatures Gangetide gaza;
Luceat Eoo lectus in Orbe lapis;

Purius

Purius haud facies; nam longe est clarius illi,
A tanta detur quod nituisse manu.
Te quoque fusa humeris licet auro futilis ornet,
Et rigeat multo dives Hydaspe chlamys;
Splendidius radiare tamen nunc incipit illa,
Pulvere VIRGINEÆ nobilitata Domus.

ALIUD

EPIGRAMMA XX.

DUm tua pulveream manus excitat aëre nubem,
Relligiosa refert præmia digna manus:
Divini propius videas ut lumina Solis,
Ipsa oculos acuit pulveris umbra tuos.

AD XERSEM PERSARUM REGEM, *Cum Atho monte perforato, & contabulato Hellesponto, vanesceret.*

EPIGRAMMA XXI.

QUid miscere juvat, XERSES, terrasque, salumque?
Per modo calcatas victus abibis aquas.
Durus Athos, fateor; sed Græcia durior illo:
Æquoris est fallax unda; sed illa magis.

LYSI-

LYSIMACHUS *frigidæ haustu Regnum vendit.*

EPIGRAMMA XXII.

LYSIMACHUS lymphæ vulgaria munera Regno
  Vendidit: hæc nimis est ambitiosa sitis.
Quos æstus pariet regali in pectore, qui nunc
  Venalis sedat guttura sicca latex?
Non opus est sævis diffringere claustra procellis;
  Nec tremat emoto concita terra sinu:
Ferali ut videas absorpta voragine Regna,
  Insidiantis aquæ sufficit urna brevis.

Ad Posthumum Medicum: De Prisco ægrotante.

EPIGRAMMA XXIII.

SAnguineas ageret PRISCUS cum naribus undas;
  Et domitus nulla sisteret arte cruor;
Accitus properè languentem, POSTHUME, visis;
  Et vultu, quo non fædior alter, ades.
Substitit extemplo vis improba sanguinis, illum
  Corripuit tetro tantus ab ore timor.
Non alius morbos abigit te doctior: ægris
  Tu non es Medicus, sed medicina tuis.

AD

AD GALLAM, *cum velo undique pellucente humeros tegeret.*

EPIGRAMMA XXIV.

INcustodito dum tu pellucida collo,
  Templa frequens tumida fronte, viasque teris;
Vis dicam? Miserum bis perdis, GALLA, pudorem;
  Vestibus, & membris exulat ille tuis.
Quid dicam; vultus, & colla procacia conde:
  O pudor! ipsa petunt jam tegumenta tegi.

ALIUD

EPIGRAMMA XXV.

NOlo mamillare, aëreo quod tenuia ductu
  Licia texuerint: crassa Minerva mea est.

ALIUD

EPIGRAMMA XXVI.

SAt credis tali frontem prætexere velo:
  Quidni? Juro equidem: Nil mihi frontis habes.

AD

AD CAROLUM V. CÆSAREM
Horologium in annulo gestantem.
EPIGRAMMA XXVII.

INclyta bis septem tibi servit Iberia Regnis;
Et latè domitis Rhænus, & Ister aquis.
Te flavus colit Eridanus; te Scylla, tuetur
Littora quæ multo dissociata cane.
Cum propè jam videat tua splendidus omnia Titan;
Seu revehat fessum, seu ferat ille diem.
O mirum! negat hoc solum tua jura vereri,
Quod tua captivum dextera, tempus, habet.

ALIUD
EPIGRAMMA XXVIII.

NOn tibi chrysolitis; tibi non incensa pyropis,
Gestat Erythræi dextera furta maris:
Baccarum nec rore nitet; nec jaspide fulva;
Nec spoliis Arabum Sardonycata tumet.
Annulus articulum decorat, qui divite gyro
Inclusum aurato carcere tempus habet:
Pace tua, Ganges; gemmâ pretiosior istâ
Cæsareâ poterat nulla nitere manu.

ALIUD
EPIGRAMMA XXIX.

TEmpora dñ numerãs tibi fulgurat annulus auro,
Tu Dominus gaudes illius; ille tuus.

AD FRANCISCUM PHILELPHUM
Timothei Grammatistæ Græci barbam vellentem, quam, de unius syllabæ natura certantes, mutua sponsione oppigneraverant.

EPIGRAMMA XXX.

ROmanæ columen, decusque linguæ,
Grajarumque, PHILELPHE, litterarum;
Ut verum ingenueque, candideque,
Et palpo procul, aulicisque fucis,
Imis, ut latet, extraham medullis;
Nec pulchrum satis, & parum decorum
Pelasgam fuit amputare barbam,
Quam nec Cinyphius gerit Maritus,
Te Senem rigidum, gravem, severum,
Et supercilio Catoniano,
Et qui plus sapis Atticis Salinis.
Namque, ut præteream, bono sodali
Tot cultam malè Sylvulam per annos,

Et

Et tantum periisse dignitatis:
Ut nec commemorem, manus cruentas
Non Musis hominem, jocisque natum,
Nec virum decuisse liberalem:
Illud præcipuè reor finistrum,
Nec famæ tibi commodum futurum;
Viris Posteritas verenda Doctis
Quod te, cætera maximum Virorum,
Romanæ columen, decusque linguæ,
Grajarumque, PHILELPHE, litterarum,
Scriptores feret expilasse Græcos.

DIVÆ TERESIÆ

Pectus ab Angelo telo transfigitur.

EPIGRAMMA XXXI.

HIspana Puer æthereus se Virgine vinci
  Non tulit, & flammis æmula corda suis.
Ergo petens validis pectus rivale sagittis,
  Trajecto DIVÆ corde superbus ovat.
Ne plaudas tibi, blande Puer; tu victus arena
  Discedis; palmam, quæ jacet, illa tulit.
Nescis, quas habeat leges certamen amoris?
  Hic, qui plura refert vulnera, victor abit.

ALIUD

EPIGRAMMA XXXII.

VIrgo, quod tantæ vivas post cuspidis ictum,
Non ego prodigium, parce, fuisse, puto.
Non habuit vires, queis pectora lædere posset,
Flammis in cineres versa sagitta tuis.

LYCURGUS *Thraciæ vites jubet excindi.*

EPIGRAMMA XXXIII.

PAmpineo vites cernens de Colle LYCURGUS,
O Socii, Nobis bella parantur, ait:
Procumbat duris excisa bipennibus arbos,
Non ullus Patriæ sævior hostis erit.
Hebro sat cautum est, pubes ne Thressa sitiret
Sed fallor; Thraci est sanguinis una sitis.

ALIUD

EPIGRAMMA XXXIV.

INdomiti Thraces bello, & regnata Gradivo
Littora Bacchæo nectare rite carent:
Quid faceret multo venas perfusa Lyæo,
Sobria si tantum turba furoris habet?

ALIUD

ALIUD

EPIGRAMMA XXXV.

IMmemor adductis Bromium qui frangere Nimphis,
Excindi vites, germina blanda, jubet;
Conjecisse mihi quantum licet; ebrius ille
Te mage, quem tendit pellere, Bacche, fuit.

AD FLORADILLUM BIBLIOPOLAM,

Cum peteret ab Authore, cur obsoletos libros, & minus bellè compactos præ venustioribus emere soleret.

EPIGRAMMA XXXVI.

SI memini, plures, ò FLORADILLE, libelli
Sunt tibi, quos miserè pellis ovilla tegit;
Sunt etiam culta quos pictiùs arte politos
Dives inaurato margine pellis obit.
Sæpè rogas, auro cur tecta volumina multùm
Non morer: impensè cur malè farta sequar:
Dicam equidem; arcanum sed quod tibi grande revelo,
Tu patulo caveas effluat ore tibi.
Intus habent aurum, malè quæ pecus arida vestit;
Intus habent auro tecta frequenter ovem.

Ad NERONEM, *ardente Roma, Halosin Ilii decantantem.*

EPIGRAMMA XXXVII.

IMperii canis Iliaci lacrymabile fatum
Dum ſternit Latios improba flamma lares:
Trojam Roma; Tybris Xanthum, Simoëntaq; reddit;
Et Capitolinum Pergama celſa jugum.
Tam benè Dardanios referant; cum cætera caſus
Qui Priamum mactet, dic mihi, Pyrrhus ubi eſt?

Moïſes marmoreus in fonte aquæ Felicis.

EPIGRAMMA XXXVIII.

ROmanum ſtupeo ad Fontem, qui Cærula nutu
Flexi; cum Pharias mergeret unda rates.
Clarius at decus hoc: Fonti ſervire Latino
Nam præſtat; vaſto quam dare jura mari.

ALIUD

EPIGRAMMA XXXIX.

PErbibe ſecuros latices, Romana Juventus;
Nomine nam Felix lympha nocere nequit:
Ad-

Adſtat & excelſo cuſtos tibi vertice Ductor
Iſacides; pelagi vel metuendus aquis.

GODEFRIDUS A TURRE, LEONE, *quem Serpente illigatum ſolverat, Palæſtini Belli ſocio utitur.*

EPIGRAMMA XL.

TErribili nuper quam ſolverat angue revinctam,
Miles habet ſociam ſæva per arma feram.
Hæſerat ut colubro; lateri ſic militis hæret;
Sed non his ſolvi nexibus illa velit.
Cum Domino pugnat;gladium ille,hæc exerit ungues;
Ille haſtam dextra concutit; iſta jubas.
Altera lux Domino; lux altera figitur hoſti;
Et pavet, & terret; ſævit, amatque ſimul.
Monſtriferam merito te dicimus, Africa; Monſtrum
Eſſet & humano in pectore tantus amor.

Idem Leo probibitus Domini navim inſcendere, dum per undas ad illum tendit, emoritur.

EPIGRAMMA XLI.

NAuta vetat dum vela ſequi fugitiva LEONEM,
Fraudatus votis & jacet ille ſuis:

 Litto-

Littoris invisi gemit indignatus arenas;
Et socium medias se jacit inter aquas.
Pectore curvato se per vada salsa carinat,
Vellera pro velis explicat aura frequens:
Ille suum, Delphin ceu factus, Ariona quærit;
Quamque ratis tenuit, sulcat & ipse viam.
Rugitusque ciet, ponto nova murmura; euntem
Atque anima Dominum deficiente vocat.
Jam perit haustus aquis; oculis tamen ille requirit,
Quæ rapiunt Dominum candida vela suum.
Bellua quod periit, superis ignosco; perire
Sed non infido debuit illa mari.
Quamvis, quæ tantum terris ostendit amorem,
Debuit & Pelagi monstra docere fidem.

AD FABULLUM POETAM *mendicum*.

EPIGRAMMA XLII.

SÆpè, FABULLE, mihì narras, pretiosior auro,
Purior argento quod tibi vena fluat.
Asserit à lacero cur non centone Poëtam
Argenti, atque auri copia tanta? fluit.

FULVIA
MARCI ANTONII UXOR,

Extincti CICERONIS *linguam acu pungit.*

EPIGRAMMA XLIII.

AH fuge: non tutum est ſævas tractare ſagittas;
Exitiale manu, FULVIA, fulmen habes.
Si dubitas, miſero potius tu crede marito:
Conjugis hoc periit fulmine fama tui.
Vanum est, exigua proſcindere cuſpide linguam,
Quam nulla ærata tempora falce petant.
Lingua hæc occiderat: dum livida percutis illam,
Longius illa tuâ vivet ab invidiâ.

ALIUD

EPIGRAMMA XLIV.

QUid linguam rabioſa petis, qua Cecropis Urbe
Nulla fuit, Latio nulla priorque foro?
Ipſa, reor, centum ſibi fama revelleret ora,
Arpini ſolo poſſet ut ore loqui.
FULVIA, lingua ſilet, quam torques; ſcripta loquuntur
Arpinatis; acu, ſi potes, illa pete.

ALIUD

ALIUD

EPIGRAMMA XLV.

THermodoontiacas ſileat jam fama Puellas,
  Antevolat palmas FULVIA Amazonias.
Poſcitis, invictæ quæ ſint miracula dextræ?
  Extincti linguam FULVIA pungit acu.

ALEXANDER FARNESIUS,

Dum obſidet Aldenardam, exploſa in tentorium, ubi prandebat, hoſtili bombarda, ab hauriendo Vini poculo non deterretur.

EPIGRAMMA XLVI.

EVomit inſani dum fulminis æmula moles
  Sulphure vulnificas diſſiliente faces;
Elatum manibus cyathum FARNESIUS haurit;
  Debilitat fortem nulla ruina manum.
Cor Ducis obſeſſa degebat in Urbe; timere
  Hinc ille in Caſtris nulla pericla poteſt.

DIVUS

DIVUS GREGORIUS THAUMATURGUS

Vocis imperio montem movet.

EPIGRAMMA XLVII.

IMmites Alpes medicato ſolvit aceto
  Annibal, Alpinis durior ipſe jugis:
Velificatus Athos: ſed inhoſpita ſaxa receptis
  Dura ſeges chalybum pervia fecit aquis:
Torrida ſi paulum ceſſaret flamma, moveret
  Non formidatum Trinacris Æthna latus:
Nec lato fluerent Simplegades æquore; ſi non
  Irati ſcopulos tunderet unda maris.
Non ferrum; non acre merum; non unda, nec ignis;
  Vox tibi ſed montes vincere ſola poteſt.

G I S C A

Hæreticorum in Boëmia ductor ex detracta ſibi pelle tympanum confici ſupremis tabulis jubet.

EPIGRAMMA XLVIII.

NOn pulli Arcadici, nec duri tergore tauri;
  GISCÆ pelliculâ tympana tenta vides:

Man-

Mandavit moriens ceris hoc ille supemis;
Atque suam jussit belligerare cutim;
Amplius ac jussit factum est: nam tympana pellem
Desuper; & cerebrum militis intus habent.

AD DYONISIUM
SYRACUSARUM TYRANNUM,
Cum Platonem Hospitem quadrigis albis exciperet.

EPIGRAMMA XLIX.

FRæna Siracusios qui stringere dura docebas;
Mitia quadrijugos ducere fræna doces:
Da populis, PRINCEPS, sunt quæ modò fræna ferarum;
Quæque hominum fuerant vincula, redde feris.

ALIUD

EPIGRAMMA L.

O Utinam, vecto cum solves Hospite currum,
Oppressam discas solvere Trinacriam.
Quàm bonus in stabulo es; malè tã dominaris in aula;
Loraque tu melius, quam tua sceptra geris.
Censorem obsequio credis mulcere; nitenti
Et pompa Actæum fallere forte senem.

Albos

Albos jungis equos: capis hac non arte Platonem;
Namque tuos mores exprobrat ille color.
Auriga Aurigæ occurris; tu doctus equorum
Infrænos animos noscere; & ille tuos.

OTHO IMPERATOR

Ad prælium iturus speculum gestat.

EPIGRAMMA LI.

In Clypeis speculum gestat Mavortia pubes:
Projice, sola dedit quæ Venus arma tibi.
Fortè times, merito ne fias fœmina; vultus
Consulis hinc, vitro Judice, sæpè tuos.

Turris à NEMBROT *extructa linguarum discordia dilabitur.*

EPIGRAMMA LII.

Pene manu NEMBROT tangebat sidera; nunquam
Et tamen à Cœlo tam procul ille fuit.
Insanis lapidum non ardua Turris acervis
Nutavit; scelerum pondere pressa ruit.
Si tantam linguæ evertit discordia molem,
Discordes stupeas sternere Regna manus?

Ad

Ad LUPERCUM *Funambulum ad Furcam adactum.*

EPIGRAMMA LIII.

MÆandro tua colla quod jocoſo
Cingat funiculus, leveſque circum
Cervicem ſaliens agat choræas;
Hos dum te didicit docente ludos,
Non eſt, quod doleas, reor, LUPERCE.
Quod nodo premat arctius, jocoque
Elidat jugulum licentiori;
Circo plauſibus adſtrepente, longos
Illum preſſeris ipſe cum per annos;
Non eſt, quod doleas, reor, LUPERCE.
Quod Funambulus ille ſit parumper;
Tu loco patiaris eſſe funis;
Non eſt, quod doleas, reor, LUPERCE.

ALIUD

EPIGRAMMA LIV.

ROſtratam retulit victor de puppe coronam;
  Gloria ſervati Civica Civis erat.
Palladias meruit, qui vicit Olympia, frondes:
  Belligeras ornant laurea ſerta comas.
Ne tenſi funis victori præmia deſint,
  Funis ſit collo digna corona tuo.

Ad

Ad Excellentissimos Dominos

DOMINICUM, & NICOLAUM ROSPIGLIOSOS

ZAGAROLI DUCIS FILIOS,

Cum in consessu Arcadum elegantissimum Carmen Bucolicum recitarent, post reditum à venatione Maccarensi.

EPIGRAMMA LV.

MAccarios saltus, operum studiosa Dianæ,
  Cingebat jaculis ROSPILIOSA phalanx:
Tela feras poscunt, arcus exosa morantes,
  Et fremit emisso conscia sylva Cane.
Ille fugam leporis meditato intercipit ictu;
  Ille reluctantem cuspide figit aprum.
Quid facerent Pueri grandes, quibus aspera ferro
  Non potis est gracilis tendere tela manus?
Exanimare feras sed si non annuit ætas;
  Sors iter ad prædam monstrat amica novam.
Territus errabat per devia Sylvivagus Pan,
  Dum pulsant resonum cornua rauca nemus.
Dum fugit, effusoque gradu per lustra vagatur,
  Fistula commotis decidit ex humeris:
Arripiunt Pueri calamos; prædaque potiri
  Non poterant teneræ nobiliore manus,

Ad

Ad Juvenem Cyprio pulvere conſperſum.

EPIGRAMMA LVI.

ORe niger; CYPRIO conſperſus pulvere crines,
Tu mihi cõmemoras: Pulvis, & umbra ſumus.

De frigidiſſimis Cellis Vinariis in Monte Doliolo.

EPIGRAMMA LVII.

CLivus ubi aggeſtis teſtarum ſurgit acervis,
Bacchi lautitiis algida ſervit hyems.
Iſaciæ fuerant olim miracula virgæ,
Ducere de ſicco pumice fontis aquas.
Arida quod cautes ſed nunc Lenæïa promat
Munera; ROMA, tuæ ſunt nova monſtra gulæ.

De eodem Monte Urnarum fragminibus extructo.

EPIGRAMMA LVIII.

TUrba ſepulchrales quò Romula trãſtulit Urnas,
Doliola æſtivus nunc ſua Bacchus habet.
Tam gelidas cellas mirari parce; ſepulchri
Frigidior glacies marmore nulla riget.

ALIUD

ALIUD

EPIGRAMMA LIX.

URnarum teſtis collis qui crevit, amica
Teſtis conciliat frigora, Bacche, tuis.
Ebrietas quo victa cadat medicamine, mentes
Si temeto inſanas vel Libitina facit?

ALIUD

EPIGRAMMA LX.

O Romæ facinus! ſupremi frigora ſaxi,
Funereumque gelu non timet illa; bibit.

Ad malos Dæmones, cum Div. IGNATIUM LOJOLAM *verberibus afficerent.*

EPIGRAMMA LXI.

QUod cæſus LOJOLA tuos irrideat ictus,
Miraris Stygiæ turba bicornis aquæ.
Non tibi ſunt vires ſolitæ; non integra virtus;
Quem cædis, malè te contudit ille prius:
Nunc quoque, dum placido tolerat tua verbera vultu,
Verbere, non ſentis? te graviore petit.

BEATUS ALOYSIUS GONZAGA
Ferreis calcaribus latera adstringit.

EPIGRAMMA LXII.

STellatos lateri Mantous stringeret Heros
  Cum stimulos; segnes queis agitantur equi:
Adstitit ardenti Puero delapsus Olympo,
  Divus & hæc placida fronte locutus Amor.
Arma, Puer, lateri quid nectis inania? cursus
  Quid frustra nitens extimulasque tuos?
Ferrea, quæ gestas, calcaria projice; ad astra
  O pennis solum tendere digne meis.

De PHARAONE *in Erythræo mari cum Exercitu Ægyptiorum submerso.*

EPIGRAMMA LXIII.

ÆRe gravem, scelerum graviorē pondere vindex
  Mersit ubi Pharium marmoris unda Ducem,
Fama est ingentes scopulos, Syrtesque minantes
  In præceps imo desiliisse mari.
Non Siculi apparet populatrix Virgo profundi;
  Non vorat Jonias rauca Malæa rates:
Prætereunt lætæ violenta Ceraunia puppes;
  Exercent nullos Nauplia saxa dolos.

Tunc

Tunc Nereus: ſcopuli quò quò diſceditis? inquit,
Quò fugitis Regni gloria prima mei?
Reſpondent: longis ſatis hic regnavimus annis;
Nunc tibi pro ſcopulis cor Pharaonis erit.

Ad Cleanthem Zenonis præcepta in Cadaverum oſſibus ſcribentem.

EPIGRAMMA LXIV.

QUæ ſcribis, quamvis doceant te plurima; mores
Inſtituet melius pagina nuda tuos.
Quam calamo ſulcas, etiam non ſcripta juvabit
Pagina; ZENONE eſt doctior illa tuo.
Quilibet, haud fallor, doctas ſuperaret Athænas,
Si tumuli nobis Bibliotheca forent.

De potione Sinenſi, vulgò Tè.

EPIGRAMMA LXV.

VIlis ab Auroræ glebis, & Gange remoto
Vellicet ut noſtram navigat herba ſitim.
Vera gulæ Proceres, quibus eſt & docta ſaliva,
Si memorant; pretium frondis inane putes:
Nam paleæ, fœnive refert tepefacta ſaporem,
Par odor eſt illi; par & utrique color.
Non color, olfactuſve, ſapor non eminet herbæ:
Vilibus in foliis India ſola placet.

Ad Ruſpum languidi Poëmatis Authorem.

EPIGRAMMA LXVI.

CUm legerem iratâ tua carmina ſcripta Minervâ,
Projeci in medios, RUSPE, cremanda focos.
Quid factum rogitas? extinxit protinus ignes
Frigidior Geticâ pagina jacta nive.

Divi ALEXII *interitus Campano ære ſponte reſonante detegitur.*

EPIGRAMMA LXVII.

SUmmo victa gelu Sponſus cum lumina clauſit
Et procul à tecto, nec procul ille ſuo:
Caſtus Amor ſacræ victor faſtigia turris
Occupat; & tenerâ concutit æra manu:
Qui primùm ſponſæ velavit, & ora Parentis;
Hæc ne progeniem noſceret, illa virum;
Ferrea nunc Chalybum Puer ora reſolvit; ALEXIN
Et jubet extinctum dura metalla loqui.

IN

IN FUNERE CHRISTINÆ ALEXANDRÆ *Suëcorum, Gothorum, & Vandalorum Reginæ.*

EPIGRAMMA LXVIII.

CHRISTINÆ tumulum colens, Viator,
Non tu purpureosque, candidosque
Fundas tristior, ingerasque flores,
Augustæ rudis æstimator urnæ.
Non mollis rosa; non tenellus Ajax;
Prati non humilis breves Alumni,
Pictæ munera nec caduca Floræ
Hos ornent cineres: Pudica Pallas
Favens Cynthius, & novem sorores,
Quin & Relligio, Fidesque vestit
Quos vernantibus hinc, & inde lauris;
Hæc te florida serta, adoreasque
Bis, ter sollicito rigare fletu,
Fato pervia si forent, juberem;

Democritus ut commodius philoſophetur ſibi oculos eruit; Galilæus invenit Teleſcopium.

EPIGRAMMA LXIX.

ABderita oculos vacua de fronte revellit,
Penſet ut amiſſum mens oculata diem:
Ethruſcus tubulata ſtruit chryſtalla, revelent
Lumina ſidereas ut geminata vias.
Æquè naturam lædit, niſi fallor, uterque;
Dum videt ille nihil; dum videt iſte nimis.

Cinegirus, abſciſſa utraque manu, hoſtilem navim retinet, & pugnam proſequitur.

EPIGRAMMA LXX.

DUm tenet hoſtilem CINEGIRI dextera puppim,
Secta cruentatâ cuſpide dextra cadit.
Suppletura vices ſtringit manus altera pinum;
Altera ſed parili vulnere ſciſſa manus.
Arreptam tamen ille, invito Marte, Carinam
Detinet, & palmam brachia trunca gerunt.
Quid tantum, Roma, Ethruſca fornace ſuperbis?
Dimidium tantæ, Scevola, laudis habes.

Dex-

Dextra perit flammis tibi sola; impendit utrasque
Et Patriæ, & Famæ fortior iste manus.

Ad Loquacem Philosophum.

EPIGRAMMA LXXI.

IN labiis Socrates tibi plurimus, & Theophrastus;
In labiis garrit multa Stagira tuis.
Semper Aristippum loqueris, Zenona, Cleanthem,
Democritum semper, Crantora, Anaxagoram:
Cætera tam bene dum calles; quæ sola supersunt,
Dogmata disce etiam Pythagoræa: tace.

De Acipensere sæpiùs redonato.

EPIGRAMMA LXXII.

ROmulidum salit auratas ACIPENSER in ædes,
Littore Tyrrheno qui modo præda fuit.
Erravit totam regalis squama per Urbem,
Dum sex huc illuc mittitur usque dies.
Tabidus at demum Tiberinis mergitur undis,
Funere non, miserum! mortuus ille suo.
Æquore qui natus, fluviali conditus urna,
Tibridis hæc mediis dicere visus aquis:
Sobria cum tantum stupeat tibi, Roma, palatum;
Inque oculis solum sit gula tota tibi;
Depictum poteras me circumferre per aulas;
Et vivum patrio deseruisse mari.

De Centurione post CHRISTI DOMINI *obitum resipiscente.*

EPIGRAMMA LXXIII.

QUi modo, dum tristis penderet robore trunci,
Numinis immisso foderat ense latus;
Dum vultus subita condit ferrugine Titan,
Convolat ad fixi Numinis ipse sinus.
Felix, cui tribuit languens Natura vigorem;
Ipsa salutarem cui parit umbra diem.

De Luxu Viridariorum.

EPIGRAMMA LXXIV.

JAm nec frigidulo levis susurro,
Natus pumice fons salit vetusto;
Musco nec recidit virente pictus:
Mentitus Siculis Cyclops tabernis
Sed quæ fulmina mittit, Arcticosque
Mistæ grandinis æmulatus imbres,
Torvo sidera territat tonitru,
Raucos stridulus & lacessit Austros.
Silva nec temere, leves per auras,
Fusos porrigit, explicatque ramos;
Sed coërcita subdit immerentes
Ferro vindice tonsilis capillos.
Myrtus, Idaliæ decus parentis,

Quæ.

Quæque olim fuerat novellus ardor,
Nunc, Titan, tua ſed corona, Daphne;
Vultus ſectilium gerunt ferarum.
Quæ fulvæ fuerant prius, virere
Maſſyli videas jubas Leonis:
Et nunc ipſe recens vireſcit arbor,
Olim qui fuit arborum ſatelles,
Cuſtoſque Heſperidum, ſuperbus anguis.
Nullas monſtriferis vacare formis
Frondes videris: huc ſuperſtes omni
Ceſſit Aphrica belluoſa partu.
Quò Tempe mera? Mœnali receſſus
Quò gratæ Patribus migraſtis Umbræ?
Illis ò utinam frui liceret
Hortis! deliciæ, Remi Nepotes,
Egent Hercule, Theſeoque veſtræ.

De Grammaticis.

EPIGRAMMA LXXV.

Romanæ decus Hiſtoriæ Saluſtius inquit;
 Diſcors haud dubiè labitur Imperium.
GRAMMATICOS ſed enim ſecernere debuit, augent
 Diſcordes odiis qui ſua Regna ſuis.

MARCHIO AMBROSIUS SPINULA, *Dum se Frisiam invasurum evulgat, & Hollandi fraudem interpretati reliquas Provincias communiunt, neglectam Frisiam occupat.*

EPIGRAMMA LXXVI.

BElla palam Frisiis dum SPINULA nunciat, hostes
Fraude putant Ligurem non caruisse Ducem.
Protinus Hispanas Zutfania, Gheldria turmas
Expectat: Frisii suspicione vacant.
Ficta Ducis credunt dum verba minantia; vero
Cervicem Frisii suppostuere jugo.
Proditur ars nova fallendi, non fallere; fraudes
Et superat Batavas Itala simplicitas.

ARCHIMEDES *locatis ad Solem Speculis Romanam Classem incendit.*

EPIGRAMMA LXXVII.

JUppiter ignavam, rubris nec sueta lacertis
Tela ministrantem sollicitabat avem.
Dic, age, cur Siculis cessant incudibus ignes?
Flammea cur sudat parcior arma Cyclops?
Atto-

Attollens Regale Caput Regina volucrum,
  Jam non fulmineo reddidit ista Jovi.
Desperare potes posthac Cyclopea tela:
  Otia semper ages; si petis inde faces.
Littore nam Siculo meliorem experta Tonantem,
  Tota Syracusio militat Æthna Fabro.

In illum Juvenalis vecsiculum

Et divina opici rodebant carmina mures.

EPIGRAMMA LXXVIII.

RODebant Opici Græcorum carmina mures;
  Atque ipsam in primis suspicor Iliada.
Pangere quid prodest immensa volumina; libros
  Perdere si tantos Syllaba sola potest?

DIVA MARIA MAGDALENA

Ad ceream CHRISTI DOMINI *effigiem orat.*

EPIGRAMMA LXXIX.

CUm Domini simulacra sui complexa teneret
  Anxia per noctes MAGDALA, perque dies:
Ceratam effigiem fletu manante resolvit;
  Cordis & ad lentas fluxit Imago faces.

Illa

Illa ubi fusa videt ceris simulacra solutis,
  Queis nec forma vetus, nec decor ullus erat;
Quam veniam sperent, dixit, mea crimina; noster
  Numine deleto si quoque peccat amor?

ALIUD

EPIGRAMMA LXXX.

Pone modum, cæsisque genis, lacerisque capillis,
  Lætior & lachrymis, MAGDALA, pone modum.
Quem cerâ stantem mirâ colis arte Magistrum,
  Obtentæ pignus dulce salutis habes.
Ex adamante fuit qui, dum fera fata subiret,
  Annuit ad veniam cereus eccce tuam.

MONIMA UXOR MITHRIDATIS

proprio Diademate se suspendit.

EPIGRAMMA LXXXI.

Gemmis Zona nitens si regia guttura torquet,
  Ne stupeas; animum torserat illa prius.
Munera fortunæ denudas, Fœmina; viles
  Dum laqueos Regum fronte nitere doces.
Hoc solum errasti; non collo nectere sertum;
  Debueras pedibus suppofuisse tuis.

ENCELADUS *in Fonte Tusculano Villæ Aldobrandinæ aquarum turbinem evomit.*

EPIGRAMMA LXXXII.

ENCELADUM meritis torquet cruciatibus aër;
  Ex alto præceps dum ruit axe Gigas.
ENCELADUM cruciat tellus non impare pœna;
  Opprimit insanum dum gravis Æthna caput.
ENCELADUM sævis plectunt ardoribus ignes;
  Dum rodit miserum flamma inimica latus.
Defuerat solùm quæ pœna; nocere sepulto
  Ipsæ etiam ultrices nunc didicistis aquæ.

In funere FRANCISCI REDI *Medici, Philologi, & Poëtæ clarissimi, cum inter dormiendum placidissimè mortem oppeteret.*

EPIGRAMMA LXXXIII.

FEralem longo non explicat ordine pompam,
  Obsidet Ethruscum cum Libitina senem.
Languida non sævis gliscens per viscera flammis,
  Torsit lethifero tabida membra gelu;

Non

Non fædam adduxit maciem; non ulcera; venas
Infecit trifti nec populata lue:
Sed dulces fomnos vultu mentita fereno,
Non formidatos mifcuit illa dolos.
Infidiis poterat nimirum vincere folis,
Victa palam toties quæ tibi, REDE, fuit.

In Furem facrilegum, qui argenteam Crucem ex Ara Maxima Bafilicæ Principis Apoftolorum noctu fuftulit.

EPIGRAMMA LXXXIV.

TErruit Augufti nifi te reverentia Templi,
Quæque tibi vitæ pignus Imago fuit;
Saltem hoc debueras horrefcere; crimine in ipfo
Supplicii augurium quod tibi triftis erat.
Dum raperet tua dextra Crucis venerabile fignum,
Stulte, crucem poteras tunc timuiffe tuam.

SEMIRAMIS ASSYRIORUM REGINA, *pexa comarum parte, impexa alterâ, ad Medos à Babylone depellendos exfurgit.*

EPIGRAMMA LXXXV.

AUdiret Babylona rapi cum Milite Medo,
Surgit inornatas fœmina fufa comas:
Tur-

Turbari non illa ſuam dolet hoſtibus Urbem;
Turbari crines ſed dolet illa ſuos.

ALIUD

EPIGRAMMA LXXXVI.

FÆmina, quæ galeâ crines involvit, & irâ
Accendit, minio quæ rubuere, genas;
Tam bene componet disjectis hoſtibus Urbem,
Quam malè compoſitis ſurgit ad arma comis.

ALIUD

EPIGRAMMA LXXXVII.

REgnatrix hoſtem ut vidit Babylonia, condit
Non bene diſcretam caſſide Cæſariem.
Advolat, & pavidos agit extra Mænia Medos;
Et latos fuſo ſanguine complet agros.
Præcipitaſſe putes pugnam, & properaſſe triumphum,
Crinis ad abruptum ut nempè rediret opus.

JOVIS STATUA *à Phidia inchoata fulminis ictu perficitur.*

EPIGRAMMA LXXXVIII.

VIdit ut è Paria ſpirantem rupe Tonantem
PHIDIACÆ rarum JUPPITER artis opus;
Æmu-

Æmulus hic, inquit, meus eſt; & nobile ſignum
 Ocyus excuſſi fulminis igne petit.
Perficit effigiem rapidæ ſtrictura ſagittæ;
 Diſcit & à PHIDIA ſculpere dextra JOVIS.

ZOROASTER *magicæ artis Inventor ridendo naſcitur.*

EPIGRAMMA LXXXIX.

EMinuit primus magico qui murmure, riſu
 Vix natus ſolvit Bactrius ora puer.
Quid cauſæ eſt illi, tantum cur rideat? artem
 Jam nunc irridet ſuſpicor ipſe ſuam.

ALIUD

EPIGRAMMA XC.

INter faſciolas, Puelle, primas
Pingues Democriti ſapis cachinnos:
Sed cum Theſſalicos ciere cantus,
Marſa & gramina, Colchicaſque fraudes
Ætas, Auſpice te, futura diſcet;
Multis tu morieris Heraclitus.

Ad

Ad Cupidinem ex electro formatum.

EPIGRAMMA XCI.

QUi te ſuccineis, Puer ò ſæviſſime, guttis
 Condidit; ingenium calluit ille tuum:
Ut paleas, hominũ nam corda trahiſque, cremaſque;
 Et lachrymas, lachrymis cretus & ipſe, paris.

SOCRATES *noctem, quæ ſuam mortem anteceſſit, altiſſimè dormit.*

EPIGRAMMA XCII.

ACtæum nox alta tenet complexa Magiſtrum,
 Cui parat immitis nigra venena manus:
Contra nulla quies oculis, animoque Tyranni,
 Qui ſtruit illuſtri toxica dira reo.
Cecropiæ gentis probrum cognoſcite: ſolus
 In tanta rectè judicat Urbe ſopor.

DAVID *Organi Pſaltici ſonitu Saulis Regis furias mitigat.*

EPIGRAMMA XCIII.

PUlſat ebur, fundam quæ ſtrinxit dextra; Gigantes
 Sic quoque ſed pergit ſternere docta manus.

Iram, proh quantum regali in pectore monstrum,
MAGNE PUER, resonant dum tua fila, domas.
Exoptant alii placidos in Principe vultus;
Laudibus ut faveat, sæviat iste, tuis.

Ad Græcum Adolescentem ex Alcippi cineribus pulvereum Horologium conflantem.

EPIGRAMMA XCIV.

BIs erras, vitreâ socium qui contegis urnâ:
Dilectos cineres namque agitare ferum est:
Et, cum dissilient in vitrea claustra favillæ,
Permistas cineri quas latitare reor,
Corruet ingrati moles effracta sepulchri;
Et cinis iste tibi rursus humandus erit.

A L I U D

EPIGRAMMA XCV.

POne urnam cineri solido de marmore; condi
Non meruit fragili tegmine tanta fides.
Nulla quies misero fuerat, dum vita manebat;
Inque ipsa tumuli nulla quiete quies.
Das cineri motum; potis es nisi reddere vitam:
Nescio quid vitæ, dumque movetur, habet.

In-

Ingeniosus amor nova dat tibi præmia: soli
Nota tibi incertæ tempora mortis erunt:
Namque ubi suspensos cineres hærere videbis,
Instare extremum tunc tibi crede diem:
Illam metiri nam jure gravabitur horam,
Qui te sic etiam novit amare, cinis.

SANCTUS MARTINUS *mendico stipem petenti sagum tradit, quo eidem* CHRISTUS DOMINUS *indutus apparuit.*

EPIGRAMMA XCVI.

ARs nova bellandi: Clypei, galeæque recedant;
Nobilior nudo à milite palma venit.
Ut vincant alii, ferroque, armisque tegantur;
Et super imposita casside colla gravent:
Dum Martis spolia hic cedit; spolia ampla reportat;
Et denudato pectore victor abit.
Mos fuerat, spoliis ornari Templa Deorum;
Ornatur spoliis sed Deus ipse tuis.

ALIUD

EPIGRAMMA XCVII.

VIrgo olim dederat corpus mortale Tonanti;
Ex te nunc vestem, qua tegeretur, habet

Ad INSULSUM *Poëtam*.

EPIGRAMMA XCVIII.

INsulsos multi dicunt te ſcribere verſus;
Sed nulla objiciunt hoc ratione tibi.
Cū ſcombros, pingueſq́; tegant tua carmina thynnos,
Innumeros illis quis neget eſſe ſales?

ARGO *Prima Navis in Cœlum relata*.

EPIGRAMMA XCIX.

PUbis Jaſoniæ gremio dum robora claudens,
Finderet Iſmarias Pelias arbor aquas,
Infremuit qui Regna domat ſpumantia nutu,
Undiſonoſque ferox exſtimulavit equos.
Nec mora; tergemino, quæ temperat æquora ponti,
Impulit audacem fuſcina dente ratem:
Illa gemens excuſſa vadis, dum fertur in altum,
Sidereis hæſit non reditura plagis.
Damna vel ipſa juvant: Velis dant ſidera ſedem;
Hoſpitium implacidæ ſi prohibetis aquæ.
Hoſpes erat Pelagi; Cœli eſt nunc hoſpita; Typhis
Quodque optare illi non potuiſſet, habet.

ALIUD

ALIUD

Epigramma C.

Flectit in astra viam, Pelagi quam debuit undis;
Huc, illuc agitur dum Pagasea ratis.
Si sine lege vagans transcendit sidera: Cymbæ
Parcite inexpertæ: prima carina fuit.

ALIUD

Epigramma CI.

DIcite, cur sævis Pelagi jactata procellis,
Sidereum tenuit Thessala puppis iter?
Peliaco quod nata jugo, descendere ad imas
Non renuit, magnæ sobria sortis, aquas.

Galilæus *Tubi Optici Inventor cæcus moritur.*

Epigramma CII.

JUdicis astrorum vitri fabricator Ethruscus
Lumine obit summum captus utroque diem;
Perpetuum gratæ nam posteritatis in usum,
In tubulos oculos transtulit ille suos,

AD

PUERUM JESUM

Recèns natum.

EPIGRAMMA CIII.

PUpe blandule, delicate, tantas
Unde habes, rogo, quas jacis ſagittas?
Non tu Tyndaridas ſupra, & micantem
Arcturum, Erigonemque, Atlantideſque,
Axes aſtriferos ſonante curru
Luſtras; & gelidos metus triſulcis
Minax inferis, imprimiſque flammis:
Duro ſtramine ſed cubas, tenellos
Fœno culcita farta dum rigenti
Et lædit ſimul, & tuetur artus;
Igni ſulphureo pares ferendo,
Nec illi tibi, Pupe, ſunt lacerti,
Quos olim jaculator ille magnus,
Et vindex ſcelerum, palam ſolebas
Eliſas ſuper explicare nubes.
Nam quod eſt tibi nunc lacertulorum
Mater faſciolis ſuis revincit;
Sævæ morſibus aſſeritque brumæ:
Non his brachiolis, PUER, ferire;
Nec attollere tu potes ſagittas.
An, quæ me miſerum petunt, cremantque,
Vibrant lucidnli faces ocelli?

Sed

Sed quod eſt tibi nunc ocellulorum,
Aut in candidulis Parentis ulnis
Componit ſopor obſequente penna;
Aut, quæ lactea decidunt per ora,
Contriſtant lachrymæ, tepente nimbo.
Cum nec tot jaculis pares lacerti;
Infirmæ malè congruantque vires;
Cum nec lacrymulis graves ocelli
Certo ſpicula moliantur ictu;
Pupe blandule, delicate, rurſum
Unde habes, rogo, quas jacis ſagittas?
Iſtud noſcere non licet: miſellus
Hoc tantum ſcio; cor perivit omne
A tuis mihi quod, PUER, ſagittis.

CLEOPATRA *morſu Aſpidis vitam abſolvit.*

EPIGRAMMA CIV.

DUm mortis Regina viam Nilotica; fallor,
Dum libertatis quærit ab angue viam;
Non miror, tenero tractatos ungue colubros
Tabificam venis implicuiſſe luem;
ASPIDA ſed miror ſubito non funere preſſam,
Hauſit ubi impuri ſanguinis illuviem.

ALIUD

EPIGRAMMA CV.

SPonsa virum, Regnum perdis Regina; nocenti
A Libya & pestes, ut moriare, petis?
Serum est, Marmaricis morituram eguisse venenis,
Quàm Sponsi, & Regni funera perdiderant.

De memorabili Turcarum clade ad Tibiscum edita, Duce EUGENIO *Principe à Sabaudia.*

EPIGRAMMA CVI.

DUm tot Miltiades Italus dat stragis acervos,
Non Marathon letho millia quanta dedit:
Quàm metuo, haud uno vigilanda Themistocle, curas
Dura per insomnes tempora noctis eant.

Ad eundem Principem, cum, post relatam Victoriam, gladio gemmato à LEOPOLDO CÆSARE *donaretur.*

EPIGRAMMA CVII.

CUm Thetis Æaciden Ætnæ fatalibus armis
Indueret; Phrygium cum Cytheræa Ducem;
Vi-

Victor uterque fuit: ſed & arma impervia laudis
Dimidium poterant aſſeruiſſe ſibi.
Te ſolùm ſuperante cadunt tot Biſtones, hauſit
Quos ferrum; rapidis quoſque Tibiſcus aquis.
Namq; tibi Auſtriacus tunc Juppiter arma miniſtrat;
Cum latè cæſo victor ab hoſte redis.

De Romanis Aqueductibus.

EPIGRAMMA CVIII.

MArmoreum per iter, pulchro deducta triumpho
Fertur, Romanam quæ levat unda ſitim:
Immanes arcus, ſuſpenſaque tramite longo
Marmora; delicias & ſtupet ipſa ſuas.
Templa, Theatra, Domos quanto molimine credas
Surgere; ſi tanti Martia turba bibit?

Ad Impoſtorem à Romana Plebe lapidibus cæſum.

EPIGRAMMA CIX.

UNdiqúe contuſus lapidoſa grandine; clamas
Te male pro meritis iſta referre tuis.
Falleris; ut dignos referat tibi laudis honores,
Nunc omnem lapidem Romula turba movet.

De Marmore Ethrusco, variis Regionum prospectibus mirè colorato.

EPIGRAMMA CX.

LIttora, prospectus varios, montesque, lacusque
  MARMORA nativo TUSCA colore notant.
Inseruit lapidum venis quæ tanta figuras
  Dextera, quo Pictor tempore nullus erat?
Cum varios rerum partus Natura pararet,
  Hoc modulos pinxit marmore forte suos.

EPI-

EPIGRAMMATUM
LIBER II.

Ad Zoïlum.

EPIGRAMMA I.

RIngaris licet usque, & usque clames,
Quantum raucisonæ strepunt cicadæ;
Quantum stagnicolæ crepantque ranæ:
Merces non humilis meos libellos,
Magni & præmia Numinis manebunt:
Phæbi ni poterunt merere laurus;
Doctas Palladis imbuent olivas.

In Ara D. IGNATIO LOJOLÆ *erecta in Templo Romano nominis Jesu Cœlestis Puer argenteus cor aureum manu gestat, prope statuam argenteam ejusdem Divi* IGNATII.

EPIGRAMMA II.

LOJOLÆ nullis unquam superabile flammis
Aligeri in nivea cor flagrat ecce manu.
Ille sed argenti solido de pondere ductus
Si, quid adhuc faciat, forte requiris; amat.

Bra-

Brachia nam Cœlo sublata fatentur amantem,
Oraque, & incensæ, lumina bina, faces.
Quid LOJOLA mihi de te fas dicere; amore
Fervere qui tanto, vel sine corde, potes?

Ad Chrystallinos lapides, qui in eadem Ara Venerabilis Nominis Jesu litteras formant.

EPIGRAMMA III.

FÆlices gemmæ, metuendum nomen Averno
Promere quas nitido jussit in ære faber!
Non equidem miror, post longæ frigora brumæ,
Vestra laborato si riget unda gelu;
Tam prope LOJOLÆ miror quod ab igne solutæ,
In patrias iterum non redeatis aquas.

De Marmoreis quatuor speculis ex Alabastrite in eadem Ara.

EPIGRAMMA IV.

HInc, illinc claram reddunt specularia lucem;
Marmora perspicuos nempè oculata sinus.
Mirarisne novam Populos concurrere ad Aram?
Ipsa oculos acuunt marmora; ut hæc videant.

Ad Divum IGNATIUM; *cujus Aram maxima copia Sapphirus illuminat.*

EPIGRAMMA V.

TOt lectos inter lapides cur largius ornat
Sapphirus tumulum, nobilitatque tuum?
Non temere lusit Pietas generosa Tuorum,
Prodiga cæruleas dum tibi fudit opes.
Hærebant Cœlo tua lumina; gratior illo,
Dum tibi vita fuit, non color ullus erat:
Extinctum color ille etiam, sequiturque sepultum;
Quodque potest, cineres recreat ille tuos.

In eadem Ara, Religio ex marmore Hæresim fulminat.

EPIGRAMMA VI.

UT Terris abigat monstrum exitiale, protervum,
RELLIGIO forti sustinet arma manu.
Jam rapido attollit qui fulgurat igne lacertum;
Jam petit anguiferum flamma trisulca caput.
RELLIGIO, suspende facem: si dicere fas est,
Hæresis haud meruit tam pretiosa mori.

In Simulacrum Divinæ Fidei, cum Principe à superstitione vindicato, ad Cœlum erecta fronte, in eadem Ara.

EPIGRAMMA VII.

PUro pura Fides habet hic de marmore vultus;
Victa superstitio sub pedibusque jacet.
Assertum tenebris Heroa inducere Cœlo
Dum parat, & celsum læta capessit iter,
Substitit hic: perculsa sacræ splendoribus Aræ,
Namque hic Cælicolis credidit esse locum.

Patris Divini in eadem Ara orbem Sapphirinum sustinentis Allocutio ad Atheum.

EPIGRAMMA VIII.

HUc adsit, nullum Cœlo regnare Tonantem,
Et fatuo irasci qui putat igne polos.
Tu pelagum, terrasque putas authore carere,
Sideraque, & quidquid Maximus Orbis habet;
Orbiculum, quem ficta regit mea dextera, credas
Cum propè divinas composuisse manus?

De

De ejusdem Aræ gradu subpedaneo, ex Emblemate vermiculato elegantissimi Operis.

EPIGRAMMA IX.

DÆdalei flores pictis hic flexibus errant;
Chloris & in secto marmore multa nitet.
Forma, decensque color commendat Veris alumnos;
Deficit unus odor; cætera floris habent:
An dulces auras spirant fortasse; sed illas,
LOJOLÆ cineres quæ tegit, urna bibit?

D. IGNATII simulacrum argenteum in loculamento pretiosis lapidibus incrustato ibidem erectum.

EPIGRAMMA X.

LOJOLÆ solido argento simulacra coruscant,
Promit ubi largas splendidus arcus opes;
Ille tamen flexæ curvamine conditur Aræ;
Interius fugiens atque latere cupit.
Non est, cur ultra speres, LOJOLA, latere;
Jam tibi pro loculo nec satis Orbis erit.

Cæ-

Cœlestes Pueri Argentei ad eandem Aram prægrandes quatuor Lychnos manu ſuſtinent.

EPIGRAMMA XI.

CUm ſit tantus honos lychnis; delapſaque Cœlo
Suſtineat nitidas cum pia turba faces;
Aſtra reor, LOJOLA, tuo lucere ſepulchro:
Aſtra ſolent illæ ſuſtinuiſſe manus.

Apoſtolorum Principis D. IGNATIUM *à lethali vulnere liberantis hiſtoria ibidem expreſſa opere Anaglyptico.*

EPIGRAMMA XII.

CLaviger accepto LOJOLAM liberat ictu,
Languidus aurato dum jacet ille thoro;
Incolumis thalamo conſurgeret ille relicto;
Eminet excelſo tantus in ore vigor.
Decumbit docto cur ſtratus in ære? ſuperbus
Artificis pereat ne labor, ille jacet.

Ad

Ad D. IGNATIUM: *De eadem Ara.*

EPIGRAMMA XIII.

QUod face Dianæ ſacras Heroſtratus Ædes
Diruerit; meritam ſuſtinet ille necem:
Sed contra; igne tuo quod totum incenderis Orbem,
Nunc, LOJOLA, nitent aurea tecta tibi.

De eadem Ara.

EPIGRAMMA XIV.

SPlendida cum radiet fulgentibus Ara metallis;
Cum niteant varios marmora ſculpta ſinus;
Picturæ pars nulla vacat; moliſque ſuperbæ
Inter opes tantas non habet illa locum.
Sed fallor: quicumque oculis hæc aſpicit æquis,
Cuncta, vel Invidia judice, picta videt.

Ad SYMMACHUM *obſcurè philoſophantem.*

EPIGRAMMA XV.

INvolvit miſeros cæca caligine ſenſus
SYMMACHUS, ambages congerit atque meras.
Diceret huic fruſtra Sapiens, quem dira cicuta
Suſtulit: ut videam, SYMMACHE, te; loquere.

MILTIADIS *Victoriæ Themistoclem dormire non sinunt*.

EPIGRAMMA XVI.

MILTIADES animo victor dum sæpè recurrit,
 Nulla Neocliden otia noctis habent.
MILTIADES, Persas jam parce lacessere: Athenis
 Non tanti est Xersem vincere; ut hic vigilet.

ALIUD

EPIGRAMMA XVII.

DUm fugat hic hostes, magnus mihi Ductor habetur;
 Majorem, somnum dum fugat, esse reor.

Ad AULUM *Anagrammatistam*.

EPIGRAMMA XVIII.

NOs panem legimus panem; ut docuere Priores
 Scilicet; atque scapham dicimus, AULE, scapham,
Lectio delectat sed te præpostera, vel quæ
 Surgit inexplicitis Mystica sæpè notis.
Litterulas propria nimirum sede revellens,
 Alteram in alterius cogis abire locum.

Mollia

Mollia quid miserè crucias elementa? nigellas
  Cadmi cur torques, improbe, filiolas?
Credo, tibi nocuit nigrarum nulla sororum:
  Non animos tantos turba modesta gerit.
Immo illam quamvis vexes noctesque, diesque;
  Noscere nec vultus dejerat illa tuos.

ALIUD

EPIGRAMMA XIX.

OBvius Exquiliis recitas Anagrammata centum;
  Et totidem Thermis obvius, AULE, mihi.
Inter vina soles Anagrammata dicere semper;
  Nec vacat à nugis Aula, forumque tuis.
Parce tuo lateri, dicebam, parce cerebro;
  Parcere si jugulo non tibi cura meo est:
His centum mihi pro monitis Anagrammata reddis;
  Hoc mihi & immensum fænore crescit opus.
Semper ego Auditor tantum? nunc accipe contra
  Hoc Anagramma: Ohe, est jam satis; AULE, Vale.

DIOGENES, *Corinthiis obsidioni depellendæ laborantibus, Dolium versat, nè maleferiatus videatur.*

EPIGRAMMA XX.

HUc, illuc Domiporta rotat versatile tectum,
  Vappa Corinthiaci, ludibriumque Fori.

Futile præſidium quid rides inſcia turba?
 Quid rides Cynicâ Dolia pulſa manu?
Defendunt jaculis alii ſua tecta; Corinthum
 Ut ſervet; propriam negligit iſte Domum.
Qui ſua, ſeque docet patriis impendere muris,
 Sat bene judicio dimicat ille meo.
Hæc reputa; & breve Doliolum, quod carpis ineptè,
 Imperii clypeum noveris eſſe tui.

Fiſtulator Luſitanus in Indico Bello, ferreis globulis deficientibus, ſclopum convulvulſis dentibus onerat.

EPIGRAMMA XXI.

MIſſilibus rabidam qui dentibus egerit iram,
 Cædere non hoſtes ille; vorare cupit:
Spartano Duce dignus erat; qui, Xerſe propinquo,
 Edixit ſociis prandia dura ſuis.
India Luſiacos olim terrebat alumnos,
 Carnibus humanis pellere ſueta famem.
Ut mutant mores populorum bella! tremiſcit
 Nunc Antropophagos India Luſiacos.

ALIUD

EPIGRAMMA XXII.

DEntibus Europam Ganges ditabat eburnis,
 Queis Indæ canent ora ſuperba feræ;
Fœ-

Fœnore jam multo ſua munera reddimus Indis;
Dum ſervat dentes Indica terra tuos.

ALIUD

EPIGRAMMA XXIII.

LOnga dies quamvis terat omnia dente voraci,
Imminuet dentes dentibus illa tuis.

NABUCHUS *divinos honores affectans mutatur in bovem.*

EPIGRAMMA XXIV.

NABUCHUM vaſti capiunt faſtidia Regni;
Et geſtit ſuperos inter habere locum:
Annuit æthereæ ſubridens Arbiter Aulæ,
Et, Deus, Ægypto Judice, dixit, eris:
Utque magis poſſis merito clareſcere cultu,
Aram te dignam Numine habebis, haram:

ARISTOTELES *æſtus Chalcidici maris cauſam non aſſequens, in eodem mergitur.*

EPIGRAMMA XXV.

DUm refluas Sophiæ cultor videt anxius undas;
Par pelago, ingenio fluctuat ipſe ſuo.

Undis ut pelagus; curis jactatur & ipse,
Extra quod frustra quæritat; intus habet.
Quærere parce tamen subita nunc mole tumentis,
Nunc iterum pelagi deficientis iter:
Digna, Stagirite, quæ te scelerata peremit,
Ingenio nosci non erat unda tuo.

ALIUD

EPIGRAMMA XXVI.

LÆva Stagiræo ne detrahe Fama Magistro;
Quod cadat arcani nescius ille freti.
Divinum ingenium est; quamvis non noverit æstum;
Hunc quoque si poterat nosse, quid ille foret?

ALIUD

EPIGRAMMA XXVII.

DUm vagus erraret pelagi secreta requirens
Littore Nicomachi filius Euboico;
Hostem, dixit, aquæ, rixosum perdite, Nereus;
Qui potis est Regni vertere jura mei.
Si ventis addat stridentibus iste Lycæi
Irrequieta sui murmura; disperii:
Et, qui Pythagoræ pisces nunc sacra frequentant,
Quam vereor, fiant ne Peripatetici.

Ad

Ad CHARIDEMUM, *ut Alchimicorum consuetudinem vitet.*

EPIGRAMMA XXVIII.

UT fugias avidos cane pejus, & angue Chymistas;
  Auriculas iterum vello, iterumque tibi:
Conficiunt nullum vacuis fornacibus aurum;
  Conficiunt aurum sed, CHARIDEME, tuum.

Nobilis Aulicus ad CINNAM *Parasitastrum.*

EPIGRAMMA XXIX.

CUm jentacula, cœnulas, merendas,
Et convivia lautiora captas;
Dicis, CINNAME, me bonum sodalem;
Lambis cruscula cum lepusculorum,
Picenas anates, aprum Sabinum,
Vel, Bononia quod creat, minutal:
Aut cum per medias, stupende sector,
Cultro, & fuscinula furis palumbes;
Dicis, CINNAME, me bonum sodalem:
Et, quò pulticulas magis liguris;
Multa & guttura proluis culina,
Nil passus reliquum cupediarum;
Hoc tu candidius, frequentiusque
Dicis, CINNAME, me bonum sodalem:

Non te de tenuique, sordidaque
Amicos pudet æstimare pulpâ?
Nosti, regula quos vetusta fines
Honestæ posuit sodalitati?
Priscum est, CINNAME: Amicus usque ad Aram.
Tuum est, CINNAME; Amicus usque ad ollam.

STASICRATES Statuarius Montem Atho in Alexandri Macedonis effigiem conformare contendit.

EPIGRAMMA XXX.

ORbis ALEXANDRI fuerat prius; incipit arte
  Orbis ALEXANDER nunc, Faber, esse tuâ.
Jam doctâ cruciata manu sonat horrida rupes;
  Nescio quid Regis jamque habet Æmathii.
Poscitis, effigiem cur non perfecerit Author?
  Parvum pro tanto Rege putavit opus.

ALIUD

EPIGRAMMA XXXI.

EFfigies opere in medio quòd tanta relicta est,
  Non minor est operis gratia; major honos:
Erueret simulacrum ingens annosa vetustas;
  Dum non perfecit; tempora nulla timet.

ALIUD

EPIGRAMMA XXXII.

INclyte, ſculpendo, Faber, audaciſſimus eſſes,
Si non vincendo fortior ille foret:
Tu ſcalpro montem; ſed totum jam prius Orbem
In ſtatuam gladio verterat ille ſuam.
Magna eſt effigies, Sculptor, qua corpora fingis:
Pone animum: minimum, crede, putabis Atho.

DEIPARÆ *ad Infantem* JESUM *in Stabulo jacentem querimonia.*

EPIGRAMMA XXXIII.

ERravit proprios, ignes qui dixit, amores,
Dum meus eſt, heù! tam frigidus ignis, amor:
Vel nemora appoſitæ norunt conſumere flammæ;
Sed, pudet, una meas vincit Ariſta faces.
Utque mei non ipſa ignes complectar amoris,
Ignes prædatur parvulus iſte meos:
MATER amans, quamvis direptis ignibus, ardet;
Eſt inter geminas frigidus iſte faces:
Nate, tibi proprio niſi naſcitur ardor ab igne;
Nunc ſaltem flammis diſce flagrare meis.

MIDAS *Phrygiæ Rex, cibis in aurum versis, fame moritur.*

EPIGRAMMA XXXIV.

MÆonium miserè perdunt sua vota Tyrannum,
Auri quem cruciat perniciosa fames.
Aurum tacta Ceres; Liquor est Lenejus aurum;
Aurum sunt trepidâ fercula tacta manu.
Cuncta aurum ut referant; subito dum funere pallet,
Aureus ipse etiam cogitur esse MIDAS.

Ad CINNAM *Astrologum.*

EPIGRAMMA XXXV.

DIi male te perdant: ægro mihi sæpè vocatus,
Tricas causatus mille, venire negas.
Ah ten' tam durum languenti, CINNA? tuique
Qui desiderio conficitur miserè?
Dum tristes actum de me dixere medentes,
Depositum deflet jam prope tota domus:
Hoc idem inspecto si me tu dixeris ægro,
Convaleam haud dubiè; protinus ergo veni.

Ad

Ad OLLUM.

EPIGRAMMA XXXVI.

QUi mea scripta capit Lector, carpitque modestè,
Non leviter Lector proderit ille mihi:
Me rudis oblectas sed tu ; loligine nigra
Qui libros carpis, nec capis, OLLE, meos.

De Vita moderatè agenda: ad SABINUM.

EPIGRAMMA XXXVII.

SI Tartessiaci jubar metalli,
Fasces Attalicique, Lidiique ;
Si Cyri chlamys, & tiara Cræsi
Possent vincere tetricas Sorores,
Cessant præcipitis, SABINE, nunquam
Quæ vertigine nos rotare fusi ;
Parcus non ego Mempheos superbæ
Turres astriferas, graves & aulæ
Laudarem Babylonicæ labores :
Laudarem Phidiæ, Scopæque signis
Latas gliscere porticus ; vetustas
Et vix atria sustinere ceras.
Quod si proxima nubibus, columnis
Et latè domus impedita centum
Non mortis celeres moratur alas ;
Nec curas animo graves, catenis

Affi-

Affixas adamantinis resolvit;
Curto fornice me satis beatum
Angusti teneant Lares: frequenti
Hic gratos prece Cœlites fatigans;
Aut ætas relegens vetusta quidquid
Doctis inseruit benigna chartis,
Utar appositâ, fruarque vitâ;
Ritè quam Sapiens vocavit ille,
Commentariolum Necessitatis.

Ad BASSUM *podagra laborantem.*

EPIGRAMMA XXXVIII.

MOrsibus è podagræ ventos dignoscis, & imbres;
Illustrem morbus te facit Astrologum.
Accusas validis dum tu clamoribus illum;
Rauca Fori discis jurgia Causidicus.
Dum vocem questu atttollis, dum tendis acuto,
A morbo discis Musicus esse tuo.
Quid cerebrum vexare juvat; te BASSE, Magistri
Encyclopædiam si docuere pedes?

In funere VIRGILII MARONIS.

EPIGRAMMA XXXIX.

MÆnia quòd Graiis jaceant Priameja flammis,
Regnorum instabiles novimus esse vices:
Sed

Sed lapſæ ſuperant Trojæ tua funera; lapſa
  Si dici tua poſt carmina Troja poteſt.
Troja habuit, caneret Trojæ qui fata, MARONEM;
  Virgilium nullum fata MARONIS habent.
Poſt Trojam in Latio nata eſt Troja altera; nullus
  Natus VIRGILII è pulvere VIRGILIUS.

In funere MARCELLI. MALPIGHI *Medici præſtantiſſimi, editis de Plantarum Anatome doctiſſimis Commentariis, de re Litteraria optimè meriti.*

EPIGRAMMA XL.

ARtis Pœoniæ poſtquam columenque, decuſque,
  Invida Felſineum fata tulere ſenem.
Incomptis viduæ Dryades flevere capillis;
  Mæſtarumque chorus flevit Hamadryadum.
Non dulces auræ nemora inter frondea ludunt;
  Aut ſilet; aut iterat flebile carmen avis:
Jam neque Sylvicolas delectat fiſtula Panes,
  Nec choreas Fauni, Numina ruris, amant.
Omnes continuò plantis excuſſit honores;
  Stamina, MALPIGHI, dum tua Parca metit;
Sylva tamen cunctis ſervat tua nomina truncis,
  Nympharum niveâ nomina ſcripta manu.
Lenta ſalix, rugoſa abies, crinita cupreſſus
  Hoc memori impreſſum cortice carmen habent;
Ut

Ut multum his truncis crescant tua nomina; crescet
Plus tamen è chartis gloria nostra tuis.

Ad RULLUM *Mortales, ut vocant, saltus edentem.*

EPIGRAMMA XLI.

VErtice, RULLE, pedes bis ter revolutus ad imos,
Dum resilis nuda, ceu redivivus, humo;
MORTALES meritò te jactas edere saltus;
Plus quoque, quam reris, perdite, mortis habent.
Desiliunt multi ad Stygias sic protinus undas:
MORTALEM hunc saltum dicere jure potes.

MARTIUM CORIOLANUM *à Romæ oppugnatione Veturia Mater avertit.*

EPIGRAMMA XLII.

MARTIUS ingratæ muros hinc obsidet Urbis;
Obsidet hinc nati pectora mœsta parens:
Hæc placidis sobolem cingit complexa lacertis;
Armata Patriam cingit at ille manu.
Tela petunt Romam exanimem quot ferrea; Mater
Tot lacrymis nati ferrea corda petit:
Ille minis Patriam; natum ferit ista querelis:
Alternantque suas terror, amorque vices.

Dux

Dux victâ tandem matrem complectitur irâ;
Et, Patriæ his lacrymis vincula solvis, ait;
Quæ fuerat vincenda mihi, tibi Roma relicta est;
Pro Româ, Matrem sat tenuisse mihi:
Ingratam Patriam plectens ultricibus armis,
Ingratus Matri non ferar esse meæ.

ALIUD

EPIGRAMMA XLIII.

CRinibus ut vidit Matrem properare solutis
MARTIUS; & riguas intepuisse genas;
Pone metum, dixit; pudor est jam vincere Romam:
Vilescit Mater, te sine, Roma mihi.
Hæc ait; obsessaque simul procul Urbe recedit;
Quam si cœpisset, fecerat ille minus.

Ad GALLAM *gemmis ornatam.*

EPIGRAMMA XLIV.

PRædioli pretium baccato in pectore gestas;
Distracti pretium Ruris inauris habet.
In digitos abiit Dotis tibi summa; micatque
E collo, Emptori tradita parva domus.
GALLA, Prienæi sequeris documenta Biantis:
Jam tua tu tecum nam bona cuncta geris.

SAN-

SANCTUS FELIX NOLANUS *araneorum telis occultatus fallit insequentes hostes.*

EPIGRAMMA XLV.

OCcupat annosi dum FELIX rudera saxi,
Militis ad certam quem vocat ira necem;
Continuò cæcâ fabricator araneus effert
Se caveâ; haud celerem ferre moratus opem.
Ut vallo, telis Mysten defendit; & hostes
Retibus, ut muscas, implicat ille suis.

In Funere Hermocratis Medici.

EPIGRAMMA XLVI.

CUm, lascivia Funerariorum,
Lictor Persephonesque cum togatus,
Nigras Hermocrates subisset umbras;
Navarchus Stygiæ Senex Paludis,
Ad ripam recubans arundinosam,
Somno languidulos fovebat artus;
Dum cessant animæ; recèns nec urget
Avarum vaga turba Portitorem:
Stratum gramine quem virente, virga
Tangit Mercurius, feritque: Nauta
Ignavissime, cur laboris expers,
Cessas, justitiumque, feriasque

Segni

Segni indicere non pudet phaselo?
Erectus, caput aggravante somno,
Senex in cubitum; ergo solus, inquit,
Cilleni, Hermocratem perisse nescis?

Obsessum à Gallis Capitolium stridentes Anseres servant.

EPIGRAMMA XLVII.

IRrequiete ales, Romanæ consule Famæ;
Degeneres Aquilas dum sopor altus habet.
Clamitat; & GALLIS jam proxima funera cantu
Præsagit, novus ex ansere factus olor.
Scilicet haud aliis servari debuit armis,
Alite quæ fausto condita Roma fuit.
Dum silet, ut noceat, nocturno tempore GALLUS,
Ritè canit diræ conscia fraudis avis.

ALIUD

EPIGRAMMA XLVIII.

STridule grex volucrum, toto nunc pectore clama,
Atque strepens Latias suppleat ala tubas.
Jam mihi nec numeris Pandione nata canoris;
Nec sero placeat carmine tristis olor:
Quantula laus vanum modulari gutture cantum;
Argutâque leves voce ferire Notos?
Hostibus obsessas servare potentibus Urbes,
Hoc est, Lusciniæ parcite, dulce melos.

ALIUD

EPIGRAMMA XLIX.

(Anser,
Summus honos Romę est, hanc quod servaverit
Quo nulla est pictas vilior inter aves.
Nam servasse Deos tanto est manifestius Urbem,
Ales despectus quo magis ille fuit.

In Tragedias ineptè scribentem.

EPIGRAMMA L.

Scena Sophocleo cum Syrmate Græca facessat;
Nescio quid majus nascitur Euripide:
Quæ TRAGICI scribunt alii, sunt digna cothurno;
Hic ocreis etiam carmina digna facit.

Flabellum ex palea.

EPIGRAMMA LI.

Æstivum, paleæ, Solem in fera bella cietis;
An quia vos patriis ille cremavit agris?
Si Zephiros pariunt, steriles malè vulgus aristas
Dicit; non adeo fertilis ipsa Ceres.
Nil levius paleâ cum sit, stipulâque volanti;
Non miror, ventos si parit illa leves.

Quon-

Quondam ignis, paleæ, fueratis preda; flagrantes
Discitis at contra nunc superare faces.

Ad ARTEMIDORUM *Nanum.*

EPIGRAMMA LII.

PUmilus es, cubito non altior, ARTEMIDORE;
Longius atque ipso corpore nomen habes.
Aulæ delicium tamen es; Dominique voluptas:
Delicias hominum nunc liquet esse breves.

De Y, *littera Pithagoræ.*

EPIGRAMMA LIII.

STrymoniæ volucres quam formant axe figuram,
Hac auxit Samius prima Elementa Senex.
Læva Voluptatis; Virtutis dextera callem
Signat, ut est bifidâ littera secta viâ.
Sed longam producta trahit cur dextera caudam?
Cur mutilata suo syrmate læva caret?
Debuit hæc potius productior esse: sinistrum
Nam longe plures ingrediuntur iter.

LOTHI *Uxor in Statuam Salis convertitur.*

EPIGRAMMA LIV.

LUmina flagrantẽ in Patriã male cauta retorques;
Ausa hoc de profugâ fœmina sola domo es.
SAL fatuam serò condit: quo colla, lacerti,
Quo riguere manus; quo riguere pedes.
Cum SALIS hæc mulier modios exhauserit omnes,
Nil mirum, multas desipuisse, fuit.
Hoc est fœminei fatum lacrymabile sexus:
Vel sapuere nimis, vel sapuere nihil.

Ad COTTAM *Astrologum.*

EPIGRAMMA LV.

RUra petis, sudo nequidquam credule Cœlo:
Horridus insanis cum ruit imber aquis.
Palliolum, collare, togam perfunderis. Artem
Fallacem liquido noscere, COTTA, potes.

Ad ALEXANDRUM MACEDONEM, *excisis Thæbis, Pindari Vatis domum indemnem esse jubentem.*

EPIGRAMMA LVI.

Nobile deletâ nomen tibi surgit ab Urbe:
  Major inoffensâ sed tibi fama domo;
Urbis nimirum, vastâ quæ strage satiscit,
  Commendat stantes ipsa ruina Lares.
Quamvis nec Bacchi cecidistis gloria, THÆBÆ:
  Nil actum est odiis, Ductor acerbe, tuis.
Dircæi VATIS nam sede superstite, Cadmi
  Diruta qui dicat mœnia, nullus erit.

ALIUD

EPIGRAMMA LVII.

Debueras, domui qui parcis, parcere, & Urbi:
  Mœnia nobilior Pindarus ista colit.
Quam ferro deles, domus ampla Amphionis, Urbs est:
  An nescis Tyriâ saxa vocata lyrâ?
Condidit Amphion; tu mœnia diruis ista:
  Pindare, nunc Thæbas restituisse tuum est.
Redde solum Alcide patrium; cunabula Baccho;
  Ultor ades geminis, major utroque, Deis.

Ut Bromio major celebretur, & Hercule; muros
Herculis, & Bromii diruit iste Puer:
Ut tu dulcisono fias Amphione major,
Redde iterum fidibus mœnia lapsa tuis.

ALIUD

EPIGRAMMA LVIII.

PIndaricos, Pellæa phalanx, everte Penates;
Atque ingrata tui munera tolle Ducis.
Quo meruit Vates tam sævam crimine pœnam;
Stare suam, patriâ præcipitante, Domum?

De Gemino Fonte ante Ædem Vaticanam.

EPIGRAMMA LIX.

NOn huc, quas cernis, Neptunus transtulit undas;
Nec salit occultâ Tibridis unda viâ.
Æternos Petri facerent ut lumina luctus,
Suspicor hic fontes progenuisse duos.
Ne stupeas, læto dum turbine prosilit unda,
Lumina mœstitiam dedidicisse suam:
Cum veniam peterent pro crimine, mœsta fluebant;
Læta hodie; veniam nam meruere; fluunt.

Filia

Filia Herodiadis D. JOANNIS BAPTISTÆ *Caput Choreæ pretium obtinet.*

EPIGRAMMA LX.

ERgo, hilarat sontes dum saltatricula mensas,
Grande CAPUT, choreæ præmia tristis habet?
Mira sed argutas commendat gratia plantas,
Dum movet ad certos ludicra membra modos:
Quidni Virgo procax belle saltaret; ad imos
Cui dudum cerebrum fluxerat omne pedes?

Eadem Choreas agens in Amne glaciato dissecto capite interiit.

EPIGRAMMA LXI.

SAnguineæ pretium Choreæ, dum ludit in aula,
Poscit adoratum sæva puella CAPUT.
Protinus at glacie sectum, dum ludit in unda,
Amisit proprium mersa puella caput:
Si benè utrumque caput reputas; nil poscere Virgo
Nobilius; levius perdere nil potuit.

De Libris omnigenæ eruditionis P. JOANNIS PAULI OLIVÆ *Præpositi Generalis Societatis Jesu, & quatuor Summorum Pontificum Concionatoris.*

EPIGRAMMA LXII.

SAlvete aureoli mihi libelli,
Manus nectareas quibus pudicæ
Laverunt Charites; Medulla Pithus
Quos Grajæ beat, & beat Latinæ:
Melle quos Saturos, comantiumque
Refertos genus omne flosculorum
Chloris Cœlicolum sacris in hortis
Puro largiter educavit imbre.
Immò quos jaculis ubique centum,
Centum missilibusque, lanceisque
Armat Relligio; quibus frequentes
Clades Tænaris Hydra, Cerberusque,
Et pestes domiti ferunt Averni.
Nam quantus Stygiis timor Tyrannis,
Celsis Martigenæ jugis Quirini,
Sagittas acuit Ligur Pericles,
Incensæ face fulguratque linguæ,
Sacro dum gravis ore, purpurati
Frœna splendida temperat theatri;
Noxasque, & scelerum lues nocentes
Purgatis jubet exulare terris?

Tunc

Tunc ſeptem geminis canora plauſus
Reddit collibus Hoſpitalis echo :
Flavus tunc, maris immemor, viæque,
Suſpenſas Tiberis coërcet undas.
Ergo ter merito, quaterque, multùm
Salvete Aureoli mihi Libelli.

Ad NÆVOLUM *ſpeculum conſulentem.*

EPIGRAMMA LXIII.

ORa reformidas dum turpia, NÆVOLE; frangis
Iratâ ſpeculum, comminuiſque manu.
Stulta manus, quid fruſtra exempla innoxia pulſas?
Ipſum quin potius percutis Archetypon?

ALIUD

EPIGRAMMA LXIV.

NEquidquam cædis, redigiſque in fruſta fidelem
Cenſorem vultus, ingenuumque tui.
En nova Cenſorum ſoboleſcunt agmina; teſtes
Et te deformem, NÆVOLE, mille probant.

METIUS SUFFETIUS, *Seditionis inter Romanos, & Albanos author, citatis curribus discerpitur.*

EPIGRAMMA LXV.

SCindere quòd socias voluit SUFFETIUS Urbes,
Distractus rapidis scinditur ipse rotis:
Cum Marius; cum Sylla; pari cum crimine Cæsar
Grassetur, pœnâ cur caruere pari?
Scilicet aut dormit Roma; aut insomnia narrat
Mendax Romanâ Livius Historiâ.

Ad INNOCENTIUM XII. *Centum Cellarum Portum instaurantem.*

EPIGRAMMA LXVI.

JUngimus externis iterum commercia terris,
Explicat & portus terra Latina novos:
Non ut præruptæ pendant nova fœnora cautes;
Non ut nostra novâ littora merce fremant.
Excitæ fervent, PRINCEPS, te visere gentes,
Dum vulgat laudes undique Fama tuas:
Major honos Urbis; major, te PRINCIPE, Roma;
Pluraque, suspiciat quæ novus hospes, habet.
Urbis dum crescunt miracula; semita in Urbem
Debuerat lato crescere & ipsa mari.

AD

AD EUNDEM

De eodem Portu uberibus aquis ditato, & restituto Aquæductu Trajani.

EPIGRAMMA LXVII.

OLim Trajani jussæ decurrere Portu,
  Dicite cur longum delituistis aquæ?
Dic, age; cur iterum cœcis rediviva latebris,
  Lætaque festivo murmure lympha salis?
Credibile est, te sponte diu latuisse; superbum
  Sub tanto ut caperes Principe rursus iter.

AD EUNDEM

Pro Ædibus Lateranensibus in Egenorum Hospitium commutatis.

EPIGRAMMA LXVIII.

EFfera sanguineis Capitolia Roma triumphis
  Extulit; & celso fixa trophæa jugo.
At sua nunc Pietas pandit Capitolia; vastâ
  Quâ Lateranensis mole coruscat apex.
Si conferre licet gemini miracula collis;
  Ultro se victum Martius ille feret.

Ille

Ille ferox miseris populorum cladibus horret;
  Augusto miseros colligit iste sinu:
Olli sola placet terroris Imagine pompa;
  Solus in adverso Colle triumphat amor.
Sed nullæ hic Statuæ Heroum; nec nobile vulgus,
  Phidiacæ vitam cui peperere manus.
Nobiliora vides inopes simulacra receptos:
  Illa homines referunt signa; sed ista Deum.

AD EUNDEM

Quod Sepulcrum sibi minimo sumptu vivus extruxerit.

EPIGRAMMA LXIX.

FAlleris, exiguum credis si forte sepulchrum,
  Quod statuit cineri sobria cura tuo.
Parva licet; nimis ampla locas Insignia mortis,
  In tua cui certum est facta licere nihil.

ALIUD

EPIGRAMMA LXX.

NUlla tuos decorant cineres spirantia signa;
  Nobile nec promit tessera sculpta genus;
Non elata super fulgentes explicat alas;
  Mentitur resonam Fama nec ære tubam.

Nulla

Nulla ſinu laudeſque tuas, Tituloſque Tuorum
Auratis referunt Lydia ſaxa notis.
Marmor adeſt, pelagi quod nulla pericula laudant;
Et retinent nomen ſaxa modeſta tuum.
Nomen habent hæc ſaxa tuũ? mihi crede; ſepulchrum
Clarius ambitio ponere nulla poteſt.

DIVÆ MARIÆ MAGDALENÆ *effigies Corallina.*

EPIGRAMMA LXXI.

ET decus, & pretium rubicundi viminis æquat
MAGDALA, durities cui pretioſa riget.
Cætera concordes; hoc ſolùm triſte gementis
Ingenio Divæ diſſidet ille lapis:
Virgula dureſcit nam protinus æthere viſo,
Quæ latuit patrias mollior inter aquas:
Sed contra; mollis luget dum crimina vitæ
MAGDALA, bina inter flumina diriguit.

Ad CINNAMMUM *Stillatitii Vini Propolam circumforaneum.*

EPIGRAMMA LXXII.

DUm mihi vix demum componit lumina, primo
Gratior Eoo quæ ſolet eſſe, quies;
CINNAME, continuò venali gutture ſævis;
Et reſonant toto vina cremata Foro.

Cri-

Cristatus nondum pennis plaudentibus ales
Arguto reducem nunciat ore diem:
Nondum, nuda pedes, foculos, prunasque relictas
Excitat, haud longi parca laboris, anus:
Cum tu præcinctus totam, nexusque tabernam,
Mobilis & mensæ turgidus urceolis,
Undique circumfers vinosam sordidus alvum;
Stillati nectar triste crepasque meri.
Ardentem Ambrosiam saturis occurrere Cœnis,
Et robur venis addere nempè putas;
Non equidem abnuerim: sed nos insomnia tollat,
An stomacus, quidquam tune referre putas?
Mensa mihi frugi est; nec me pituita lacessit,
Nox malè cœnatum quem vigil omnis habet.
Quid mihi cum latice ignito? medicamina crudis
Ista feras: somnum, CINNAME, vende mihi.

AD COSMUM III. MAGNUM DUCEM ETRURIÆ *cum Anno Sæculari Romam petens ad Antii Portum appelleret. Ejusdem Constantia celebratur.*

EPIGRAMMA LXXIII.

QUi didicit, tutus Virtutis robore, Princeps
Obvia Fortunæ pectora ferre minis;
Nunc subit illustrem Fortunæ nomine Portum,
Nomine; nam victor cætera pontus habet.
Prisca superstes adhuc quòd si Dea Templa teneret,
Diruta quæ vasto procubuere mari;

Splen-

Splendidiore cadens iterum convulsa ruina,
Victores peteret sponte terenda pedes.

BACCHI *Statua ad Fontem.*

EPIGRAMMA LXXIV.

UT curas animi, spectatrix turba, levares,
Dona tibi nostri nectaris ante dabam:
Ebria sed postquam facta es tu munere nostro;
Largitur medicas jam tibi BACCHUS aquas.

ALIUD

EPIGRAMMA LXXV.

DElicias nitidi fontis quicumque tueris,
Exemplo discas sobrius esse meo.

ALIUD

EPIGRAMMA LXXVI.

LEnæus puras dispensat prodigus undas:
Nulla sed, heu! gratum dat mihi Nimpha merum.

ENCELADUS *ſub Ætnâ Monte ſepultus flammas evomit.*

EPIGRAMMA LXXVII.

TRinacriis hunc tota premat licet Ætna cavernis;
Impar pro tantâ mole recumbit onus.
Dum furit, & moto juga diſcutit ardua tergo,
Mons ſuperimpoſitus creditur urna levis.
Saxa ferox, multamque humeris immanibus Ætnam
Projicit; & pœnam fulminat ipſe ſuam.
Vindictæ Inſtrumenta novæ pœna ipſa miniſtrat:
Quæ patitur, faciunt fulmina fulmineum.

ALIUD

EPIGRAMMA LXXVIII.

ERrat, qui fauces hic pandere credidit Orcum,
Et Stygium Siculo Monte tonare Jovem.
ENCELADUS furit his Campis; non ficta minantur
Tartara; namque Erebi mitior ira foret.

ORONTA

ORONTA *Virgo Cypria, cum Bizantium deferretur; incensâ navi, occumbit Victima Castitatis.*

EPIGRAMMA LXXIX.

COllige Virgineos cineres, castamque favillam,
Virginis exemplo facta pudica, Cyprus.
Insula si Venerem coluit mollissima; Virgo
Expiat antiqui criminis ista notas.
Non satis est forti terras purgasse Puellæ;
Æquoreas proprio funere purgat aquas.
Nam si fœdarunt Veneris cunabula Pontum;
Eluit obscœnum, dum perit ista, salum.
Quæ superant solùm sedes, pete Tartara; terris
Pulsa Venus Cypriâ Virgine; pulsa mari.

Ad Posthumum ridiculè avarum.

EPIGRAMMA LXXX.

UT parcas oleo, dum carmina, POSTHUME, scribis,
Pro Lychno, vigilis lumina felis habes.
Magnus honos feli est, chartis succurrere: muri,
Illas cum rodet, gloria major erit.

CAJUS CALIGULA IMPERATOR *Equum sibi Collegam in Consulatu pronunciat.*

EPIGRAMMA LXXXI.

JUra viris celso dispensat vertice; primùm
Qui patiens hominum fræna momordit Equus.
Ipsa, nefas! furor est, jam monstra invertere: saltem
Centauros rectos Thessala terra dedit.

ALIUD

EPIGRAMMA LXXXII.

OLim si duro venit Dictator aratro;
E stabulo fasces nunc quoque Consul habet.
Do CAJO veniam: non possum parcere Romæ:
Unum CAJUS Equum nam colit; ista duos.

ALIUD

EPIGRAMMA LXXXIII.

TRojani sileantur Equi miracula: magnum
Hic regit; ille olim perdidit Imperium.

Ad

Ad ANGELUM CUSTODEM.

EPIGRAMMA LXXXIV.

O Qui me deciesque, centiesque,
DUX FIDISSIME, singulas in horas,
Anguis Tartarei revellis ore,
Longæ faucibus eripisque mortis:
Occultus clypeo negante frangi,
Occultus radiis micantis hastæ,
Dies pervigil usque, & usque noctes,
Tutas excubias agis, potensque
Luctator Stygios tenebriones
Ingrato procul exigis duello;
Et cladis renovas probrum vetustæ.
Tu me per juga, deviosque saltus
Gressus heu male providos ferentem,
Achates, Pyladesque sospitator,
Certo restituis gradu; dolosum
Et crebris iter explicas periclis:
Tu clavo Palinurus, & trementem
Dextro sidere dirigis phaselum;
Euripos, Maleasque, verticosæ
Vitare & rabiem doces Charybdis.
Emenso atque utinam satis viarum
Fas sit, sidereos tenere portus;
Acti te socium, Ducemque cursus
Votivo & liceat sacrare plectro.

Ad S. FRANCISCUM BORGIAM, cum, emaciato jejuniis corpore, ulnare ſpatium exhauſtę pellis in adverſum latus complicaret.

EPIGRAMMA LXXXV.

IN tenues collecta ſinus cutis arida vires,
 BORGIA, non minuit; ſuggerit illa tibi.
Spicula Tartareus ſi noxia diriget hoſtis;
 Si Ditis coëant agmina tota ſimul.
Non opus eſt corium æratum; taurinaque ſtringas
 Tergora; pro clypeo pellis inanis erit.

AD EUNDEM

Cum inter venandum, aves adoriente Accipitre, oculos in Terram dejiceret.

EPIGRAMMA LXXXVI.

ARdea dum prædam plaudentibus occupat alis,
 BORGIA, cur nudæ lumina figis humò?
Nempe novus forti de Venatore Sacerdos,
 Accipiter trepidam dum ferus urget avem;

Acci-

Accipitrem, prædamque simul tu cordis in ara
  Dona litas Domino, libaque grata, tuo.
Ut novus es Mystes; nova sic est victima; cæsa est
  Nam prius illa Deo, quam cadat icta solo.

BARCINO *post diuturnam obsidionem, sub ipsum tempus conciliatæ Pacis inter Europæ Principes, Gallis deditur.*

EPIGRAMMA LXXXVII.

BARCINO Sequanici diuturno verbere Martis
  Respiret nullis cum lacerata moris;
Non tamen Hesperidum nutant ingentia corda,
  Corda Saguntinam vincere docta fidem:
Ergo cum latè fuso non cederet hosti;
  Cederet obsesso cum neque clausa mari;
Æthere lapsa nitens Virgo fulgentibus armis,
  Et celsum galeâ tecta micante caput,
Impulit indomitos muros, postesque refregit;
  Et locat in medio Gallica signa foro;
Hæc effata super: dextrâ procumbere Troja
  Hesperia hâc solùm, parce Gradive, potest.
Diriguere omnes, ignoto Numine Divæ;
  Sed pandit pulchros cassis aperta dolos.
Bellonæ poteras vultum expectare ferocem;
  Ora remigrantis mitia Pacis erant.

SCIPIO AFRICANUS *Linterni in Arcis similitudinem Villam extruit.*

EPIGRAMMA LXXXVIII.

HAnc Libyæ terror Campano in littore molem
Condidit, invidiam cum fugeret Patriæ.
It Cœlo turritus apex; & fronte minaci
Bellum aſtris, tellus ſi vacat hoſte, movet.
Valla ſuper quoties cum luderet umbra roſarum;
Palluit ad durum purpura mollis iter:
Rivulus expavit quoties; ne, Marte propinquo,
Læderet ingenuas ſanguinis unda nives.
Delicias ſuus horror habet: ne crede virenti
Eductam clivo luxuriare domum:
Scipiadæ niſi tecta forent; hæc, littore Thracum
Poſthabito, Mavors incoluiſſe velit.

ALIUD

EPIGRAMMA LXXXIX.

HErbida prata ſuper qui tales extruit arces,
Ille arces meruit vincere, Pæne, tuas.
Tranſtulit hic Libycæ muros, non diruit, Urbis;
Scis quo tranſtulerit? Martia rura vides.

ALIUD

ALIUD

EPIGRAMMA XC.

ROmani, Libycique anceps sit gloria Martis;
Romano at cedas Africa Ruricolæ.
Otia dum coluit, defloruit Annibal; augent
Otia Romani robur at ista Ducis.

Ad CINNAM *Pædagogum bene nummatum.*

EPIGRAMMA XCI.

INsimulat te Turba Remi nescire Latinè,
CINNA, capillati Gymnasiarcha Chori.
Trojugenæ fatui! cum sit Lucretius illi
In digitis; callet verba Latina satis.

ALIUD

AD EUNDEM

EPIGRAMMA XCII.

QUòd solido nil mense legas; doctissime CINNA,
Objicit immeritò fama sinistra tibi:
Non legis; ignavum cum decoquit alea pernox;
Aut unctâ farcit blanda culina dape:

SCIPIO AFRICANUS *Linterni in Arc's similitudinem Villam extruit.*

EPIGRAMMA LXXXVIII.

HAnc Libyæ terror Campano in littore molem
 Condidit, invidiam cum fugeret Patriæ.
It Cœlo turritus apex; & fronte minaci
 Bellum aſtris, tellus ſi vacat hoſte, movet.
Valla ſuper quoties cum luderet umbra roſarum;
 Palluit ad durum purpura mollis iter:
Rivulus expavit quoties; ne, Marte propinquo,
 Læderet ingenuas ſanguinis unda nives.
Delicias ſuus horror habet: ne crede virenti
 Eductam clivo luxuriare domum:
Scipiadæ niſi tecta forent; hæc, littore Thracum
 Poſthabito, Mavors incoluiſſe velit.

A L I U D

EPIGRAMMA LXXXIX.

HErbida prata ſuper qui tales extruit arces,
 Ille arces meruit vincere, Pæne, tuas.
Tranſtulit hic Libycæ muros, non diruit, Urbis;
 Scis quo tranſtulerit? Martia rura vides.

ALIUD

ALIUD

EPIGRAMMA XC.

ROmani, Libycique anceps sit gloria Martis;
Romano at cedas Africa Ruricolæ.
Otia dum coluit, defloruit Annibal; augent
Otia Romani robur at ista Ducis.

Ad CINNAM *Pædagogum bene nummatum.*

EPIGRAMMA XCI.

INsimulat te Turba Remi nescire Latinè,
CINNA, capillati Gymnasiarcha Chori.
Trojugenæ fatui! cum sit Lucretius illi
In digitis; callet verba Latina satis.

ALIUD

AD EUNDEM

EPIGRAMMA XCII.

QUòd solido nil mense legas; doctissime CINNA,
Objicit immeritò fama sinistra tibi:
Non legis; ignavum cum decoquit alea pernox;
Aut unctâ farcit blanda culina dape:

Non legis; hybernos cum, pulpâ ſtratus inerti,
In medium ſomnos protrahis uſque diem:
Turba papyraceos ſed cum ſtudioſa cucullos
Porrigit ære graves; tunc bene, CINNA, legis.

PISANDER *proprii Corporis umbrâ conterritus, eandem inſequitur.*

EPIGRAMMA XCIII.

PISANDRUM rides, quòd ſeſe fugerit hoſtem?
Hoſtes te melius comperit ille ſuos.
Se noviſſe bonum eſt; doctis ſi credis Athenis;
Addit PISANDER; ſe metuiſſe, bonum eſt.

ALIUD

EPIGRAMMA XCIV.

DUm fruſtra hic ſequitur fugientem corporis umbram,
Dum rudis occurſus, quos creat ipſe, pavet;
Ridiculum eſt, dices, vanas ſectarier umbras:
Et qui Regna petit, dic mihi, quid ſequitur?
Umbra fugax; celeri ſunt Regna fugacia curſu:
Fallax umbra; ſuos Regna teguntque dolos.
Reges PISANDRI pugnas imitantur inanes;
Regibus hoc ſolùm diſcolor ille fuit.
Umbras dum peterent, aliis nocuere Tyranni:
Umbram dum ſequitur, ſed nocet iſte ſibi.

In

In illa verba DIVI JOANNIS BAPTISTÆ: Ego vox clamantis in deserto.

EPIGRAMMA XCV.

QUæ nova; Nestoreo quæ dulcior ore, per umbras
Deserti nemoris lingua diserta sonat?
Vox sonat hæc Verbum: Vocem vox ista revelat;
Sed vox nulla tamen dicere plura potest.
Uno nam veluti dixit Pater omnia Verbo;
Unâ ZACCHARIDES omnia voce refert.

De lancibus fictilibus à RAPHAELE URBINATE *depictis*.

EPIGRAMMA XCVI.

TAlia si præstat fortunæ oblita prioris,
Docta Saguntinâ currere testa rotâ;
Fastidire potest gemmantia pocula luxus;
Invideat Samio splendida mensa luto.
Scilicet ipsa tibi, PICTOR, miracula sordent;
Quæ furor est patinis perdere fictilibus.
Cœleste ingenium, Cœlesti nomine dignum
Esse tibi, RAPHAEL, Terra vel ipsa probat.

ALIUD

Epigramma XCVII.

Pictor eras; novus es mirâ nunc arte Prometheus;
Sic animas vili dum simulacra luto:
Hoc dispar: merito te Gloria figit Olympo;
Illum Caucaseis debita pœna jugis.

ALIUD

Epigramma XCVIII.

Quæ tua debuerant æternis signa metallis
Vivere, cur Figuli labile monstrat opus?
In pretio est operis facilis jactura caduci;
Pars vitæ, subito posse perire, fuit.

Ad Fabullum *Poëtam*.

Epigramma XCIX.

Tantam non equidem, Fabulle, rebar
In nasum tibi me ciere bilem,
Cum te versiculos parum pudicos
Dixi scribere: nunc palam retexo
Si quid rusticius, severiusque
Censor commonui minus benignus.

Et

Et qui te modulos procaciores,
Et dixi mera lusitare lustra;
Testatum facio, tuis libellis,
Et juro, Veneres adesse nullas.

HERCULES LINUM *Musicæ Præceptorem*, *injectâ in caput cytharâ*, *interficit*.

EPIGRAMMA C.

CUm rudis erraret per nervos dextera, nullæ
  Errare impunes quâ potuere feræ;
Robore dejecto, lentisque ingloria nodis,
  Otia carpebat segnia clava minax:
Erubuit generosa manus; cessare lacertos
  Impigra nec fortes sustinet ira diu.
Torquet in artificem buxum vocale; necatque
  Vel Cythara, Herculeo pollice facta nocens:
Æmula quæ clavæ, sua sternere monstra superbit;
  Ipse suæ monstrum nam LINUS artis erat.

ALIUD

EPIGRAMMA CI.

PAtratas forti nunc credimus Hercule clades;
  Clavæ namque fides asseruere fidem.

CHRISTUS DOMINUS *in Horto, ſanguineo ſudore perfunditur.*

EPIGRAMMA CII.

RItè fluit madido ſudor tibi corpore; longum
Scilicet es Cœli è vertice menſus iter:
Vix pugnam ingreſſus manas ſudore cruento;
Pugna ubi deſierit, quis tibi ſudor erit?

ALIUD

EPIGRAMMA CIII.

CRiminis hic vindex Hortus, ſi criminis alter
Cauſa olim, everſâ poſteritate, fuit.
Germina ne quæras Horti; cruor irrigat illum:
Heu tantum pœnas irrigat iſte liquor.
Effera terribiles ſileat Calvaria pœnas;
Nec tumeat magno funere triſtis apex:
Si rupis diræ pœnas æquaveris iſtis;
Illum homines dices; hunc cruciaſſe DEUM.

Aves ad Uvas advolant à ZEUXIDE *depictas.*

EPIGRAMMA CIV.

IGnaro, mirum! ſpumat vindemia Baccho;
Purpurat, Autumno nec generante, merum.
Picta coloratos decerpit turba racemos,
Subdola dum longam provocat eſca famem.
Sed poſtquam telis illuſa receſſit; ad uvas
Illam nec veras approperaſſe putem.
Nam, quæ crediderat veras, à ZEUSIDE pictas,
Jure putat pictas, quas ſua gignit humus.

De BARRA *Multo mero ſe ingurgitante.*

EPIGRAMMA CV.

INvitat poſitâ dum ſeſe BARRA diotâ,
Et trahit è madido muſtea vina lacu,
Dicta Salus Sponſæ decies, ter dicta Sorori,
Dicta quater Patruo, dicta quaterque Patri.
Lena tulit multas, abſens & amica Salutes,
Et congerronum de grege quiſquiliæ.
Emoritur tandem plus mille Salutibus hauſtis,
Et vina ad Stygias pota refundit aquas.
Miraris? prodeſſe ſolent ut bina venena;
Sic homines potis eſt perdere multa Salus.

Se-

Somnium de Poësi.

EPIGRAMMA CVI.

EXternam mihi visa per quietem,
Noctis candida dispulit tenebras
Phœbi Filia; quæ, soluta curis,
Umbras Castalii colit recessus:
Dotalis lyra, cælibesque tota
Cui Laurus, Ederæque sunt supellex.
Reginæ latus hinc, & hinc tegebant
Arguti modulaminum Ministri,
Nexæque Artifices, Fabrique vocis,
Felices Genii: quibus nec una,
Nec dispar facies, amore junctos
Sed qualis decet; arguitque Fratres.
Adstabat bicolor, bifrons Jambus,
Qui canos Hecubæ ferit capillos,
Grajas sanguine polluitque Mensas;
Idem bellicrepos potens Thrasones,
Et Davos hilari citare socco.
Heroos aderat ciere cantus
Pollens alter, aheneumque Martem:
Et tristes Elegi; Modique, Sappho
Quos primum reperit parum pudica,
Celsæ Pindarus & Pater Camenæ;
Et quos Stesichorus, Simonidesque,
Et quos, percita grandiore plectro,
Creavit numeros canora Lesbos.
Leves nectare delibute pennas,

Nec

Nec te prætercam, jocose Scazon;
Nec vos suaviloquo silens Phalæco
Omittam genitos, bonos sodales,
Blandos, Juppiter, integellulosque,
Quos Graji Hendecasslylabos vocarunt.
Cum Divæ speciem, sacrosque vultus
Mirarer, geminum jubarque frontis;
Subrisit Dea paululum, sonosque
Tales dulcifluo remisit ore.
Quæ me subsequitur, decora turba,
Illustres Genii, Modique; formæ
Dum primos cupidi petunt honores,
Non cessant avidâ calere rixâ.
Nunc te juncta caterva Cognitorem,
Nunc te convenit Arbitrumque; Fratrum
Tu litem dirimas. pudore victus,
Dejectis oculis parumper hæsi;
Vix tandem hæc humilis, tremensque dixi.
Menè ut Judice tristior recedat
Quisquam de Sociis, amore longo
Quos notos mihi suspicor, fideque?
Sed ne morigerum parum queraris,
Quem tanto reputas honore dignum;
Et suffragia quò feram pudenter,
Sic nostram licet explicare mentem.
Novis haud dubiè canenda donis
Tu nobis venies, sopore functis:
Quo te Carmine tunc feram, colamque,
Probatos mihi, noverisque visos
Illos tu modulos venustiores.

De

De TUCCA *Astrologo.*

EPIGRAMMA CVII.

QUi ſortes varias, viceſque rerum,
Qui caſus dubios, ſepulta ſæclis
Et arcana laceſſitis futuris;
Alta Dindyma, Delphicaſque lauros
Non eſt, cur Salaminias per undas,
Et viſo Maleæ petatis æſtu.
Unum, ſi ſapitis, frequenter unum
Conſultum faciles adite TUCCAM.
Malarumque tot arduos viarum
Compendifacite, & maris labores.
TUCCA verius eſt nihil monente;
Nil eſt firmius annuente TUCCA.
Non oracula certiora cæco
Dabit Deiphobe furens in antro;
Non reſponſa feret verenda tantum,
Quem Peluſiaci colunt, Serapin:
A Fauno monitus rudes Latini
Nec tales referent; licet juvencos
Bis centum feriant; tepentiumque
Stratis pellibus incubent bidentum.
Ille, Marmaricis potens arenis,
Jam nobis valeat bicornis Ammon;
Dodonæ & valeat Columba duplex:
Ad TUCCÆ tripodes, domeſticamque
Cortinam potius gradus feramus.
Qui ſi nubila fœda, præſcioque

In-

Informes hyemes notabit ore;
Innubem faciem Poli, diesque
Ipsos Halcyonum scias futuros.
Quod si perspicuos, comâque signet
Lætos affore puriore Soles;
Rauca fulmina, turbinesque, & omnes
Expectes licet imbrium ruinas.
Promisit Boreas? malignus illam
Anni particulam tenebit Auster:
Prædixit Zephiros? minax Eois
Eurus fluctibus efferet jugales.
Nullus sanguineo magis Gradivo,
Diris cædibus & vacabit annus;
Quàm discordibus ille præliarem
Quem Regum fore prædicabit armis.
Sic præpostera cuncta nuncianti
Certa in oppositum, tenaxque semper
Constabit ratio, fidesque Vati.
Hac mendax ratione, tam disertè
Eventus dubios, reconditosque
Casus nos poterit docere TUCCA;
Quam si Tiresias, sciensque Protheus;
Aut verax Lyciisque, Delphicisque
Phœbus ex adytis loquatur ipse.

De Ollandis, ferratis Soleis, glaciatum Rhenum trajicientibus.

EPIGRAMMA CVIII.

RHeni prognatas Alpino fonte jocosus
Trajiceret celeri cum pede Pastor Aquas,

Iratus fremuit, nivibusque, atque amnibus auctus,
  Turgidior pavidos obsidet amnis agros.
Illum, sed geminis dum faucibus exit in æquor,
  Alligat ingrato frigida bruma gelu.
Extremosque sinus, & pinguia culta tenentem
  Transmeat ærato Turba Batava pede.
Obstupet Ille novos, glacie cedente, volatus;
  Alas dum pedibus sufficit ipse chalybs.
Perque tuum jurat sceptrum, Neptune; nec ipsum
  Alatum pedibus tam bene Mercurium.
Ocyus & sese, adductis huc omnibus undis,
  Trajectum, modicas quàm prope Fontis aquas.
Hæc memorat; tantis poteratque rigescere monstris,
  Lenta prius rapidum ni glaciasset hyems.

De XANTIPPE *Socratis Uxore rixosâ.*

EPIGRAMMA CIX.

CUm Socrates Sponsæ mores non ferret acerbos,
  Non quidquam monitis proficeretque suis;
Ad Superos tandem versus; da, CONJUGE, dixit,
  Juppiter, ut possim commodiore frui:
Subrisit placido Proles Saturnia vultu;
  Atque apage hinc stultas, dixit, inepte, preces.
A Jove tunc petis, quod non sibi Juppiter ipse
  Tradere, depromat robur ut omne, potest?
Quas non emendare licet, toleremus uterque:
  Ut tibi XANTIPPE, sic mihi Juno domi est.

Puer

Puer ex AMBRACIA *Platonis Phædonem manu tenens, desiderio Inmortalitatis, è Turri se jacit præcipitem.*

EPIGRMMMA CX.

DEsilit, æternæ captus dulcedine vitæ,
E Turri præceps AMBRACIOTA Puer.
Sic Plato perpetuum populos transmittis in ævum?
Ne pereant, homines atque perire doces?
Assertor vitæ qui debuit esse perennis,
Phædon Carnificem se stupet esse tuus.

CENTAURI *Statua in Tusculanâ Villâ Aldobrandinâ contentissimum sonum cornu ciet.*

EPIGRAMMA CXI.

TElegoni Colles cornu resonante fatigat
Semivir Æmonio natus in axe Gigas.
Hylęum, Nessumve putes, Rhætumve, Pholumve;
Excipe Chironem; quilibet alter erit.
Pelides torvi nam si Custodis in antro
Vel semel audisset, quos agit iste, sonos;
Hoc hortante, Puer Xanthum petiisset; Ulisses,
Expectare tuam nollet & ille tubam.

Ad RUFUM *Ludimagistrum*.

EPIGRAMMA CXII.

DUm RUFUS ventrem vitulo lactente saginat;
  Immori, ait, chartis quid juvat Hermogenis?
Euge: Papæ; sunt res salvæ; sic itur ad astra:
  Jam mihi nec betas, Quintiliane, sapis.
Helluo librorum sit Festus, Valla, Strebæus;
  Helluo librarum tu mihi RUFUS eris.

EPI-

EPIGRAMMATUM LIBER III.

Ad Fluvium Lethen.

EPIGRAMMA I.

CArmina, quæ lusi Sebethi natus ad undas;
 Dum colerem ripas, Tibri superbe, tuas;
Si neque Sebetho veniunt, nec Tibride digna;
 Merge soporatis, lethifer amnis, aquis:
Quòd tua non curem, quin spontè oblivia poscam;
 Hoc volo post cineres sed superesse meos.

CYRI *Regis Caput à* TOMIRI *Reginâ Scytharum in utre sanguine oppleto contumulatur.*

EPIGRAMMA II.

SAnguineo tegitur caput exitiale sepulchro;
 Quas solùm sitiit, mergitur inter aquas.
Non illud tellus, non condunt æquora; servat
 Sola sed extincto sanguinis unda fidem.
Quin etiam hic gratos potet licet usque liquores;
 Poscis sanguineo quid facit utre? sitit.

Ad NATTAM *Circulatorem*.

EPIGRAMMA III.

IMplicitos humeris angues, & brachia circum
Serta velut florum, fasciculosque geris.
Tu globulos ternâ versas dum pixide, fallunt
Lyncea Dedaleæ lumina sæpe manus.
Pharmaca tu vendis, catapasma, emplastra, trochiscos;
Ampullis fatuam conciliasque fidem.
Tu cantus avium varios; tu barbita calles,
Tympana, Sambucam, Cymbala, Sistra, Lyram.
Grandia sæpè levi transmittis dolia saltu;
Illa licet saltu tu breviore bibas.
Ore Venafranum, Rhodiumque refundis eodem;
Cecuba tu regeris, Chia, Falerna simul.
Malobathrum, nardum, balanum, myropolia tota
Spirat inexpleto qui fluit ore liquor.
Ingeris innocuas in hiantia guttura prunas;
Trajicis insonti sæpius ense manus.
Prothea, Mercurium superas: & Apolline major
Es fidicen, Vates, Clinicus, Arcitenens.
Quæsieris tantas cum tot sudoribus artes;
Omnes miramur, NATTA; quòd esurias.

De

De Imagine CHRISTI DOMINI *à Laurentio Bernino carbone delineata in suburbano Patrum Societatis Jesu.*

EPIGRAMMA IV.

HUmanos docili cretâ cum fingeret artus
Cœlicolum DOMINUS, se probat esse DEUM.
Plusquam hominem præstas, Pictor, qui celsa Tonãtis
Ora vel extincto torre nitere jubes.
Ille opifex hominem cretâ formaverat albâ,
Signavit faustum scilicet illa diem:
Numinis ora nigro sed tu carbone figuras;
Nempe doles DOMINI funera sæva tui.

Testudo ex Aquilæ unguibus decidens Æschilum Poëtam occidit.

EPIGRAMMA V.

FUlmine posthabito, testudine Regius ales
Armatur: fallor; sic quoque fulmen habet.
Et regit, & torquet fatalia spicula; majus
Nescio quid Domino tentat & ille suo.
Laurigeris parcit nam frontibus ira Tonantis;
Quod non auderet Juppiter, ille ferit.

ALIUD

EPIGRAMMA VI.

OLim Mercurius reperit teſtudinis uſum ;
Teſtudo invenit ſed modò Mercurium.

ALIUD

EPIGRAMMA VII.

POne leves arcus ; pharetram nec, inutile pondus,
Attollas humeris, ò Libitina, tuis.
Induis inſani nequidquam fulminis alas ;
Si teſtudineo ſic ruis acta gradu.

Ad P. ATHANASIUM KIRKERUM *è Societate Jeſu Mathematicis diſciplinis, & linguarum peritiâ eximiè doctum ; moribus autem candidiſſimis.*

EPIGRAMMA VIII.

NAturæ ingenio non impare detegis ipſi
Quod promit magno, vel tegit illa ſinu.
Quot

Quot Cœlum condat rerum miracula; formas
  Induat arcanâ quas vapor arte, doces:
Obstructas acies perrumpit Lyncea terras;
  Non tardant curas Æquoris ima tuas.
Te Latii decorat facundia, & Attica Pitho,
  Quæque sacro Isacidum fluxit ab ore Patrum:
Non Arabum desunt moduli; Nilotica saxa
  Cogis Romanâ solus in Urbe loqui.
Punica lingua deest tibi solùm; ea jure relicta est;
  Non facit ad mores lingua dolosa tuos.

In Funere CAROLI V. *Lotharingiæ Ducis.*

EPIGRAMMA IX.

QUas rapere à CAROLO exuvias, Fortuna, putasti,
  Extorrem Regno cum paterere suo?
Pannonicus, Dacus, Slavus, Germanicus ille est;
  Ille Othomannigenum terror, & Orbis amor.
Non potes irato tantum tu demere vultu;
  Quantum illi virtus addere sola potest.

Ad Marcianum ab exercitu Imperatorem salutatum, cum dormientis ad Solem caput Aquila tegeret.

EPIGRAMMA X.

ALes sacra Jovi pennis umbracula texit;
  Dum tibi odoratum sufficit herba thorum.

Quid

Quid faciet, vigil, & Cæsar cum fulmina posces,
  Tam benè si somno militat illa tuo?

A L I U D

EPIGRAMMA XI.

DUm Clypeo somnũ cõmendat Martius Heros,
  Mollis & armatum sustinet herba latus;
Advolat, expansisque tegit Jovis armiger alis
  Nudatum galeâ versicolore caput.
Cur jubar armorum, & sævum non fugerit ensem,
  Quærere desistas: credidit esse Jovem.

Ad CINNAM *comptulè vestitum.*

EPIGRAMMA XII.

MIgdonios deceat, Lidos, Phrygiosque Tyrannos
  Quæ te vestit acu divite picta chlamys:
In longos dicunt sed te jejunia soles
  Ducere, dum nullo fumat ab igne focus:
Nonne pudet sedare sitim te Najade purâ,
  Ut bibat intextam culta lacerna Tyrum?
Non quęro, an tenuis pellat tibi frigora vestis:
  Hoc scio; te cogit, CINNA, perire fame.

Acuta responsio FERDINANDI TOLETANI *Albæ Ducis ad Galliæ Regem super divulgato rumore suspensi Solis, dum Hispanica Legio Albim trajiceret.*

EPIGRAMMA XIII.

GLoria Francigenum, Rhodani moderator, Iberũ
  Vocibus his fertur sollicitasse DUCEM:
Verane suspensum vulgavit Fama per orbem,
  Attonitas Phæbum detinuisse rotas,
Cum gladiis armata phalanx HISPANICA, nudo
  Pectore transnaret, quas agit ALBIS, aquas?
Sensit ludentes laudes HISPANUS, & astus;
  Cautus & hos patriâ reddidit arte sonos:
Tanta daret cum terra mihi spectacula; Cœlum
  Otia ut aspicerem nulla fuere mihi.

Ad Ponticum Poëtam duriusculum.

EPIGRAMMA XIV.

QUòd tu, dum modulos cies canoros,
Asper perpetuis fluas salebris,
Duris horridiorque senticetis,
Non est, PONTICE, quod feras molestè:
Nam te crediderim parum morari,

Duro

Duro carmina duriora ferro
Morosus nimium, severiorque
Auris ni legat Atticæque Lector:
Non huc tendere te fatemur omnes;
Illuc tendere te fatemur omnes,
Consutos numeros rigente venâ
Suis ut Chalybes canant in oris;
Aut convivia lauta ut inde possis
Vel centum dare Struthiocamelis.

De Gladio SCIPIONIS.

EPIGRAMMA XV.

SI gladius nitet iste, licet nox invida surgat,
Servat inoffensum maxima Roma diem:
Sol medio licet axe micet; si projicit umbras
Hic gladius, tenebras Africa semper habet.

De Calamo CICERONIS.

EPIGRAMMA XVI.

IMprobitas clades; frænos vesania; Vitam
Hinc Patria, & laudis dona perennis habet.
E ferro statuant alii munimina Regnis;
Romanum calamo nititur Imperium.

In

In vocem illam CHRISTI DOMINI *morientis:* SITIO.

EPIGRAMMA XVII.

QUi nuper fontem se dixerat esse perennem,
Cur, dum triste subit funus; ait, SITIO?
Credite, vox illa ænigma est; qui soluerit illud,
Digna reor tanto PRINCIPE dona feret.
Quid peteret DOMINI exanguis SITIS ægra, latronum
Novit qui pœna proximus alter erat.
Ergo munus aquæ supremâ in morte petenti,
Quod potuit, lachrymas obtulit ille suas.
Grassator felix; ænigmate perge soluto
Victor; mercedem si petis; astra tenes.

Ad COTTAM *crasso ingenio contemptissimum*.

EPIGRAMMA XVIII.

COTTA, tibi Lethes oblivia nulla nocebunt,
Te piger obscurâ cum vehet amnis aquâ.
Unde datum poscis? cum tu nil noveris unquam,
Immemori numquam fas erit esse tibi.

Ad

Ad Illustrissimum, & Excellentissimum

ZAGAROLI DUCEM,

cum eidem Calculi sectura feliciter cessisset.

EPIGRAMMA XIX.

ASsiriam effigiem, æquabat quæ regna metallis,
Dicitur avulsus comminuisse lapis:
Sed tibi, qui Reges animo, & virtutibus æquas,
Restituunt longos eruta saxa dies:
Procubuit meritò generoso victa lapillo
Moles, quæ tumidâ fronte superba fuit.
Et meritò divulsa tibi dant saxa salutem,
Qui decus, & Latiæ diceris Urbis amor.

XERSES *Platanum perditè amat.*

EPIGRAMMA XX.

PErsarum ductor, cymbâ cum vectus in unâ
Duceret irato languida vela mari;
Forte animum subiit Platani genialis imago,
Dicitur & tales ore dedisse sonos.
Hei mihi; quam longum colui malesanus amator,
Non Platanus, mendax planta; Cupressus erat.

CATO CENSORIUS *Statuam respuit in Capitolio.*

EPIGRAMMA XXI.

ARcis apex, Tarpeja, tuæ quà tollitur, hospes
Miratur Latios marmora sculpta Duces;
Sed rigidi frustra quærit simulacra CATONIS;
Attonitus, dum non invenit, ipse facit.
Romanum referunt mores, si marmora cessant,
CENSOREM; & recti, fit Polycletus, amor.
Ingenuâ vitæ, qui libertate superbit,
Jure vetat formam fingere saxa suam.

Ad Lapidatorem.

EPIGRAMMA XXII.

CRediderim claro te Deucalione creatum;
Ni solùm hoc illi discolor ipse fores:
Post multas projecit aquas ille horrida saxa;
Sed tu post multum projicis illa merum.

De Nerone, & Æde Vaticanâ.

EPIGRAMMA XXIII.

AUra Palatinis ubi garrula ludit in Hortis,
Aureaque immitis tecta NERONIS erant,

Clau-

Claudius obscuri se faucibus extulit Orci,
Tibri, tuas iterum visere jussus aquas.
Sed non attonitis cernit quæ sustulit astris,
Clara superfuso surgere tecta Tago.
Non tectos noscit ramis Sylvestribus arcus;
Atria collapsâ nec male fulta Paro;
Olli, dum laceros lapidum miratur acervos,
Atque parem Romæ procubuisse domum,
Ultrix Tisyphone sacram procul innuit ÆDEM,
Quæ VATICANO Sidera colle petit:
Aëreum ostendit lapidosæ cycladis orbem,
Et picturatum luxuriare tholum:
Mox ait: has sedes vilis Piscator Idumes,
Fœda tulit qui, te Principe, fata, tenet.
Ille refert: Erebum, & Cocitia Regna petamus;
Sævius hac specie nam nihil Orcus habet.

De Rosarum fasciculo ex cerâ.

EPIGRAMMA XXIV.

MEllea turba, rosis quam nutrit sedula Chloris,
Instituit Dominæ dona referre suæ.
Assimilant ceris Cythereja germina; reddunt
Floribus & succos, quos rapuere prius.
Vera putes: unus color est obscurior illis;
Eductis ceris qualis inesse solet.
Hæc igitur Floræ volucres munuscula mittunt;
Quæ gestat niveâ casta Melissa manu.
Germina Diva suo reputans è cespite nata,
Naribus admovit protinus illa suis:

De-

Decepta erubuit: quod solùm defuit illis,
Numinis è vultu tunc rubuere rosæ.

De Fure suspenso.

EPIGRAMMA XXV.

Littera suspenso de te longissima facta est:
Causa fuit mortis littera terna tuæ.
Litterulæ parcent tua funera tollere nunquam:
Vir bone, vis dicam? Mercurialis homo es.

AD EUNDEM

Cum ad ejus Cadaver Vultures advolassent.

EPIGRAMMA XXVI.

Porcj Latronis natus de sanguine, totos
Vixisti Furius, Falcidiusque dies.
Torquatus moreris: carpunt demum ossa volucres
Dum tua, Corvini nobile nomen habes.

In effigiem Judæ CHRISTUM DOMINUM *osculantis: Ad Pictorem.*

EPIGRAMMA XXVI.

ARs tua Naturam ſequitur ſi, PICTOR; in arte
A te peccatum largiter eſſe puto.
Proditor hic figit cur oſcula vera Magiſtro,
Cui dederat vivens oſcula ficta, ſuo?

PERSÆ *Solem Orientem contortis in ipſum ſagittis, adorant.*

EPIGRAMMA XXVII.

TItani genus inſolens, novumque
Cultus Arſacidæ ferunt, in ipſum
Jactas, dum pelago redit, ſagittas.
Hoc ignavus Arabs, Syrique molles,
Hoc uſti Æthiopes, leveſque Parthi,
Hoc Phœnix imitetur, & Gelonus;
Cultores fatui, rudeſque quotquot
Vultus monſtriferos colunt Deorum.
Adniſi jaculiſque, lanceiſque
Perdant Numina fabuloſa, perdant;
Sic fœdoſque greges colant Deorum.

De

De ALCIMO *inepto Oratore Historiola.*

EPIGRAMMA XXVIII.

ALCIMUS Aufidium solans, jam morte propinquâ,
Elysios lætus, dixit, adire potes:
Persolvet nam lauta tibi cum justa Sacerdos,
Orator laudes prosequar ipse tuas.
O me felicem! respondit protinus æger,
ALCIME, dicenti qui tibi non adero.

Ad PANDARUM *Rus proficiscentem.*

EPIGRAMMA XXIX.

DUm petis imbriferum, rediturus vespere, Tibur;
Me socium longæ non sinis esse viæ:
Res subita est, inquis; solum tractandaque poscit:
Sportula sed solum te tamen ire negat.
Tecum infarta probè gallina, nivosaque perdix
Commeat; & pingues, PANDARE, ficedulæ:
Non est, quòd dubites tibi Tibure fausta futura
Omnia; namque bonæ te comitantur aves.

DIVA CATARINA, *rotâ divinitus comminutâ, non læditur.*

EPIGRAMMA XXX.

MObile supplicium se sponte in frusta resolvit;
  Ne DIVÆ noceat, jam sibi pœna nocet:
Detrahe Fortunæ Insignis revolubilis Orbem;
  Hoc posthac Virtus ambiat ipsa vehi.
Debile nec fulcrum reputes; non firmior illi
  Æquato fuerit tessera prisca cubo.
Non vitiosa rota est, quæ sidera celsa petentem
  Sustinuit DOMINAM vel lacerata suam.

CATILINA, *ad acuendam Sociorum feritatem, humanum sanguinem ad potandum circumferri jubet.*

EPIGRAMMA XXXI.

STulte, quid humano crudescere corda tuorum,
  Massica mentitus dona, cruore doces?
Falleris: humani quo plus tu sanguinis illis
  Ingeris, humanos feceris esse magis.
O Fera; tunc odium in Patriam cruor iste doceret,
  Elicitus venis si foret ille tuis.

ALIUD

ALIUD

EPIGRAMMA XXXII.

SÆvior Annibale hic Civis, Roma; ille cruorem
Effudit Latium; sed CATILINA bibit.
O portenta! minus Romani sanguinis iste,
Quo plus Romani sanguinis haurit, habet.

ALIUD

EPIGRAMMA XXXIII.

QUalem propinet Patriæ CATILINA salutem,
Pallenti Cyatho quæ tepet unda, docet.

In DEMOCRITUM, *&* HERACLITUM.

EPIGRMMMA XXXIV.

DEMOCRITUM vixisse nego, cui lachryma nulla
Excidit; hæc lachrymis vita carere nequit.
Nec vixit, nunquam quòd riserit, æmulus alter;
Risu stulta hominum vita carere nequit.

De obitu DEIPARÆ VIRGINIS.

EPIGRAMMA XXXV.

VIRGINIS ut pectus peteret Libitina, rigenti
Torquebat frustra spicula multa manu;
Nam procul in tenues abeunt aut irrita ventos,
Authori redeunt vel nocitura suo.
Ridebat vano conantem plurima jactu
Qui propè Divinus fortè latebat Amor:
Non ignes aderant Puero, non tela, nec arcus;
Omnia Virgineo perdidit arma sinu:
Prodiit; & verbis mortem compellat amaris:
Æmula, nunc vires experiamur, ait:
E Lachesis pharetrâ jaculum simul arripit; ictu,
Nec mora, fatifero saucia Virgo cadit.
Obstupuit; fregitque omnes Libitina sagittas;
Veraque qui poscit funera, dixit, amet.

De ligneis ædibus Burghesianis in agro Romano positis, ad excipiendum INNOCENTIUM XII. *Pont. Max., cum ad Antii Portum diverteret.*

EPIGRAMMA XXXVI.

ROmula Tyrrhenas ubi semita ducit ad undas,
Surgebant viridi rustica tecta solo:

Sed

Sed brevis ædiculæ fines distendit iniquos,
Regius augustâ mole nitetque labor.
Miratur pastor splendescere divite pompâ,
Et stupet agrestem degenerare domum.
Nempe novo hæc surgunt Pastori limina; talem
Debuit & talis Pastor habere Casam.

Ad NATTAM *Vinosum.*

EPIGRAMMA XXXVII.

VAle Polype, NATTA, doliaris,
Et cellæ barathrum Thyonianæ.
Nocturnos Triviâ citante currus,
Ad frugi mihi cænulam vocatus,
Quà ripam prope murmurantis undæ,
Alludens platanisque, populisque,
Auræ sibilat error hospitalis;
Non tu, sobria quod rubrica sanxit,
Potasti Charites modestiores;
Nec, quod norma benignior remittit,
Æquasti numerum novem Sororum;
Sed, ò diluviem voraginosam!
Bis senis Rhodiique, Massicique
Perfundis jecur amphoris Lyæi;
Atque omnes bibis Herculis labores.
O factum illepide, atque ineleganter:
Portentum vale gutturale, semper;
Vale Polype, NATTA, doliaris,
Et cellæ barathrum Thyonianæ.

JOANNES AUSTRIACUS CAROLI V. CÆSARIS FILIUS, *febrili æstu à mente dejectus, de rebus Divinis verba faciens moritur.*

EPIGRAMMA XXXVIII.

MItem te furiæ faciunt; insania sanum;
Et rationis inops mens, opulenta Deo est.
Solùm hoc Posteritas tanto de Principe jactet;
Nobilius CAROLO quòd genitore cadit:
Laus ingens CAROLI est, sine Regnis claudere vitam;
Hic CAROLUM superat, dum sine mente perit.

ALIUD

EPIGRAMMA XXXIX.

TUrba caret numero stultorum maxima: stultus
Ut satus AUSTRIADUM sanguine, rarus erit

ALIUD

EPIGRAMMA XL.

NAvigat Anticyram, qui mentis perdidit usum;
Sed qui sic perdit, navigat Empireum.

DEI-

DEIPARÆ VIRGINIS *effigies ad Circum maximum à Judæo Sycophanta lapide percussa sanguinem effundit.*

EPIGRAMMA XLI.

EXcusso temeras saxo qui VIRGINIS ora,
Carnifices nati, perdite, vincis avos.
Crimine spes veniæ non decidit omnis in illo,
Dum superest nullo vnlnere læsa parens:
Sed dum sacrilego matrem tu verbere cædis,
Quis tibi apud natum deinde sequester erit?

Ad Eminentissimum Principem

PETRUM CARDINALEM OTTHOBONI *cum Neapolim inviseret.*

EPIGRAMMA XLII.

DUm, PRINCEPS, tu Regna petis, dilecta feruntur
Quæ tibi, Bacche Pater; quæ tbi, flava Ceres;
Parthenope Româ tanto tumet Hospite major,
Æmula Dardaniæ quæ prius Urbis erat.
Celsior assurgit septenâ Vesujus arce;
Sebethus titulos, Tibri, præitque tuos.

Tolle-

Tolleret arguto Siren tua nomina cantu;
Magnaque Thyrrenas gesta doceret aquas:
Diceret Adriacæ clarum Telluris Alumnum;
In Latiâ primum diceret Urbe jubar:
Ter conata tuas verum depromere laudes,
Delituit medio ter pudibunda mari:
Et meritò: nam fraudis amans timet ora tueri,
Fixit ubi solium non temerata Fides.

Ad Gibbosum simul, & Claudum.

EPIGRAMMA XLIII.

TUbera te gibbi faciunt immania claudum;
Gibbosumque simul tibia læsa facit;
Ardua nam tergo surgat cum sarcina; magnum
Cruscula non miror si labefactat onus:
Nec miror, tua si domus inclinata procumbit,
Illam sustineat cum vitiosa basis.

Ad ARTEMISIAM *Mausoli Cariæ Regis Conjugem, cum Viri extincti cineres vino dilutos hauriret.*

EPIGRAMMA XLIV.

MAusolea licet ponas immania, vivat
Splendidus & longâ posteritate dolor,

Re-

Relliquias cinerum dum ſorbes, pectore in iſto
Nobilior Sponſo ſternitur urna tuo:
Marmoreum tollis Regi Regina ſepulchrum:
Sed vivum in proprio pectore Sponſa viro:
Solus amor tumulum fecit tua viſcera; dici
Molibus at celſis ambitioſa potes.

SEJANI *Simulacrum in patellas vertitur à Romanis.*

EPIGRAMMA XLV.

SEJANI effigies, fœdis damnata culinis,
Stridet Romanis digna patella focis.
Ne ſtupeas, denſo effigiem nigreſcere fumo;
Fumoſum referunt nam ſimulacra caput.
Ambitio ſpeculum ſi quærat vana, patellâ
Hâc poterit vultus conſuluiſſe ſuos.

In Gorgonium Poëtam Maledicum.

EPIGRAMMA XLVI.

NOn laudat; pungit ſemper Gorgonius; illum
Non lauro; urticâ cingite, Pierides.

De Marmoreo Horologio arenario ad ventorum Indicem posito in Ædibus Curiæ Romanæ, ad Montem Citatorium.

EPIGRAMMA XLVII.

MArmore qui solido fluxas simulavit arenas,
Temporis & tacitum ludificavit iter,
Fallitur; ille silex, qui nunc durissimus obstat,
Ille leves poterit dinumerare dies:
Commŭnuet cautes illas longiqua Vetustas;
Et tunc, quæ modo sunt marmora, pulvis erunt

Temporis alæ geminæ ex laminâ ferreâ pro ventorum Indice in speculâ earundem Ædium positæ.

EPIGRAMMA XLVIII.

SUrgere legifero Themidis Prætoria Clivo,
Marmoreamque novâ luce nitere Domum,
Vidit ubi, occulto numerans qui sæcula cursu,
Cuncta vorat vasto falcifer ore Senex,
Infremuit; quatiensque caput venerabile, debes
Hæc etiam, dixit, Roma superba, mihi?

Cum Circos, Thermasque, trucis cum tecta Neronis
Videris ante meos procubuisse pedes;
Amphiteatra putri senio cum victa fatiscant,
Hâc iterum indomitum tollis ab arce caput?
Vincere sueta alios vici Capitolia; nostras,
Exuvias orbis, fecimus exuvias;
Nunc pudeat, nova bella movent Citorea saxa;
Hos animos Collis despiciendus habet.
Hæc fatus, falcem adducto bis, terque lacerto,
Torvus in adversi marmora Collis agit:
Involat in dextram, ferrumque Astræa coërcet;
Et, Domus hæc, dixit, prædo superbe, mea est.
Temporis agnoscant, nil demoror, omnia leges;
Te decet at nostro subdere colla jugo.
Hæc ubi fata, senem terrâ resupinat inermem;
Excussâ jacuit languida falce manus.
Illa minax geminas à tergo diripit alas,
Excelsâque sui Collis in arce locat.
Servat adhuc Turris, jactatque illustre Trophæum;
Mobile dum spolium mobilis aura rotat.

Ad OLLUM *Aleatorem.*

EPIGRAMMA XLIX.

PElliculam ancipitis schedulæ tua dextera pernox
Dum terit, & vetitum legibus urget opus;
Prima Suburbanum nox abstulit; altera jactu
Prædia præcipiti Transtiberina rapit:
Tertia nox fundos rasit vigilata Sabinos;
Cætera sed quartâ disperiisse doles:

Non

Non benè dinumeras, malus es Tabularius, OLLE;
Calculus haud ſcitè ponitur iſte tibi:
Quid quartam vocitas? quæ funditus omnia merſit,
Non ea quarta tibi; ſed decumana fuit.

DIVÆ MARIÆ MAGDALENÆ *effigies in ſpeluncâ.*

EPIGRAMMA L.

MAGDALA, Apellæâ ſpiras inculta tabellâ;
Incultam ſi te reddere pœna poteſt;
Verbera torqueres; tacitis ſed vocibus inquis,
Non hæc eſt flagris digna tabella peti:
Lachryma quin etiam flueret tibi multa; colores
Verum ne lædat lubrica gutta, times.
Cæderis an quoque ſic, & luges? ſed tegit ictus;
Et lachrymas tergit callida tela tuas.

ALIUD

EPIGRAMMA LI.

MAGDALA, quæ pinxit te dextera triſte gementem,
Illa dedit pœnis ſæcula longa tuis:
Abſtulerunt veras lachrymas tua funera; pictus
Sed nullâ poterit morte perire dolor.

ALIUD

ALIUD

EPIGRAMMA LII.

SOrbet MAGDALIDOS lachrymas hic ſcrupea rupes,
Anxia dum lentâ liquitur illa face:
Ad fletus veræ poſſent manſueſcere cautes;
Cur non mollitur, dic age, picta ſilex?
Pictori hoc debes; nimirum finxerat ille
Dura magis veris marmora marmoribus.

SCIPIO AFRICANUS *in Ennii Vatis Sepulchro tumulari jubet.*

EPIGRAMMA LIII.

SCIPIO non auro radiantem poſtulat urnam;
Cycnus ubi Calaber conditur, ipſe jacet.
Quid Cineres duris opus eſt munire metallis,
Et breve marmoribus diſſimulare lutum?
Æra vel ipſa ruunt demum; ſed, Vate propinquo,
Poſſidet æternum fictilis urna jubar.

ALIUD

EPIGRAMMA LIV.

QUem ſacer arguto commendat carmine Vates,
Cenſetur felix ille jacere cinis:

Quàm

Quàm tua, summe Ducum, feliciter ossa quiescent,
Dum tibi cum toto Vate jacere licet?

De Causidico, & Astrologo.

EPIGRAMMA LV.

NOn te vana pudet fatuo dare verba popello?
Causidicus claro dixerat Astrologo.
Ille refert: sit turpe licet dare verba; clienti
Vendere verba tamen turpius esse puto.

In importunum Aurigam noctu dormientes rotarum strepitu excitantem.

EPIGRAMMA LVI.

QUis ô præcipitum fragor rotarum
Dulcem luminibus fugare somnum,
Et totam furit excitare Romam?
Num stridentia contumeliosi
Urbem plaustra perambulant bubulci?
Nocturni medicator an duelli,
Chirurgus myrothecium reportans,
Strigosum scuticâ ciet veredum?
Sed vobis male sit, quietis hostes,
Somni incommoda, pessimæ quadrigæ;
Centum vos male conterant salebræ,
Et cautes, foveæque, semitasque
Claudunt obvia tigna quæ refartas.

Nam

Nam te, qui riguum, strepente curru,
Fessis artubus invides soporem,
Vel Glauci manet execrata finis;
Vel calles, silicesque profluenti
Tinges Hyppolitus recens cerebro.
Verùm hac lege nigrum subibis Orcum;
Ut te nec stygiis Diana ducat,
Nec Senex Epidaurius cavernis.

In funere P. DANIELIS BARTOLI SOC. JESU *Scriptoris Etruscâ linguâ celeberrimi.*

EPIGRAMMA LVII.

TRistior æquoreas cum tenderet Arnus ad undas,
Edidit hæc celso spumeus ore Pater.
Siccine, vernantes nec floribus obsite ripas;
Ut prius, ambrosiâ nec satur, Arne, venis?
Ille refert: Cœlum rapuit quo florea semper
Ripa mihi, & rigui nectaris unda fuit.
Ingrato cineri flores nunc sparsimus omnes;
Cladis amarities sola relicta mihi est.

Ad CRISPULUM *Petrarcæ stylum fastidientem.*

EPIGRAMMA LVIII.

IRatis natum Musis, & Apolline lævo,
CRISPULE, Petrarcam nempe nitere negas.

Semodium misero tu pulveris excute; tantâ
  An niteat Vates obsitus illuvie?
Ter decies lectus si sordeat ungue frequenti,
  Tunc sordere liber desinet ille tibi.

XERSES *ventos, quòd Pontem Hellespontiacum disjecerint, verberari jubet.*

EPIGRAMMA LIX.

REddidit has Boreas rabida inter murmura voces,
  Cum virgæ streperent per latus Arsaciæ.
Non ego, quòd valido disjeci robore molem
  Pontis Achemenii, verbera nunc patior:
Verbera nunc patior; quòd non temeraria classis
  Collisa est medio per freta cæca mari.
Verbera nunc patior; quòd non mihi diruta primùm
  Fluxerit insanis machina Pontis aquis.
Quòd placidus, quòd mitis eram, cum turpe pararet
  Ille jugum pelago, verbera nunc patior:
Sed tu non longùm nostrâ lætabere pœnâ;
  Ira diu felix nec tua, Ductor, erit;
Addere namque meis robur tua flagra lacertis,
  Spero equidem nosces, cum Salamina petes.

CATO

CATO UTICENSIS, *exercitu in Africâ sitiente oblatam sibi aquam in terram effundit: alluditur ad illud Lucani*

Excussit galeam, suffecitque omnibus unda.

EPIGRAMMA LX.

QUòd Populi projecta sitim restinxerit unda,
Laus mihi pro tanto Principe visa levis:
Africa; credo equidem, non amplius ipsa sitivit,
Ex quo dejectæ cassidis hausit aquas.
Flumina decrescant Libyæ, fontesque dehiscant,
Nec tellus pluvio supplicet usta Jovi:
Nulla sitis posthac Libycas torquebit arenas;
Pro Jove, pro fluviis unda CATONIS erit.

MANLIUS CAPITOLINUS, *jactis in hostes panibus, inopiam arcis dissimulat, & liberat Capitolium.*

Alluditur ad eundem Lucani de Catone versiculum.

EPIGRAMMA LXI.

DUm Cato perdit aquã; Cerealem MANLIUS escã,
Ille sitim tollit militis; iste famem.

ALIUD

De eodem MANLIO.

EPIGRAMMA LXII.

TRiticeos orbes largè dum torquet in hostes,
Vindicat obsessum Martia turba Jovem:
Quid, Miles, vano Martem sudore fatigas,
Tela rotat victrix si meliora Ceres?

In Tumulo CHRISTI DOMINI.

EPIGRAMMA LXIII.

HOspes, qui DOMINI CINERES, urnamq; requirens,
Vectigal tumulo triste, paras lacrymas;
Hic situs est, tectus privato marmore; verùm
Dum loquimur, jam non amplius hic situs est.

Ad ATTALUM *Senem versiculos scripturientem.*

EPIGRAMMA LXIV.

INvitis, quis credat? adhuc canis, ATTALE, canis;
Nec prohibet molles tarda senecta jocos.

Sed

Sed quamvis Pylio scribas tu Nestore major;
  Nemo tamen Vatem te putat esse Senem:
Non anceps monitrix clamat nam pagina contra;
  Carminibusque Puer nosceris esse tuis.

SAMPSON *Columnas excindit, & cum hostibus opprimitur.*

EPIGRAMMA LXV.

DIsjectos latè lapidum, quos cernis, acervos,
  Arduaque Herculeâ saxa revulsa manu,
Condidit hoc cineri SAMPSON illustre sepulchrum;
  Ipsa quod invideat Caria sponsa, suó.
Utque magis stupeas, ictu non amplius uno,
  Nulla quod æquarint secla, peregit opus.
Integra disruptæ testantur robora cautes,
  Spondet & æternos ipsa ruina dies.
Frangite Praxiteles, jam frangite scalpra Myrones;
  Si SAMPSON, vel dum diruit, ista facit.

ALIUD

EPIGRAMMA LXVI.

SEnsit ubi veteres cum crine redire lacertos;
  Scurra Philisteæ qui modo plebis erat;
Impulit immanes toto SAMPSONE Columnas;
  Præcipitesque solo tecta, virosque trahit:

I nunc; & cæcum jubeas saltare Cyclopem:
 I nunc; & raso fide capillitio:
Sole carens, adimit Solem tot millibus; &, quæ
 Cæsa cadunt, nôrunt agmina Cæsariem.

DEMOSTHENES *Fabri filius*.

EPIGRAMMA LXVII.

QUi modò stridenti ferrum molliverat igne,
 Corda hominum doctâ nunc regit arte FABER:
O FABER, in pejus mutas tua munera; namque
 Cor hominis ferro durius esse reor.

Pisana Mulier Gemellos indivisos parit, sub quorum duplici pectore Cor unum repertum est.

EPIGRAMMA LXVIII.

DIcite, candidulos artus quo glutine tandem,
 Qui potuit solus jungere, junxit amor?
Serò alii fiunt; verùm hi nascuntur amantes;
 Ante & amare Puer quàm bene posset, amat.
Debita pectoribus desunt sed corda duobus;
 Quominus hi Cordis, plus at amoris habent;
Corda etenim, cœpit quæ primùm jungere, in unum
 Quâ pollet felix arte coëgit amor:
Corpora dum nectit, vetuit Lucina, peracto
 Tempore, ne pulchrum continuaret opus.

ALIUD

ALIUD

EPIGRAMMA LXIX.

QUæ tales generat fortunatiſſima Matrum,
  Et parit illa duos; nec parit illa duos.
Illico ſed pereunt; meritò: videre gigantem
  Quem cunæ, haud potuit creſcere prolis amor.

ALIUD

EPIGRAMMA LXX.

PEctora quòd gemino fraudavit corde, malignam
  Naturæ parcas increpuiſſe manum:
Naturæ haud crimen; furtum ſed crede Parentis;
  Cor aliud matrem nam rapuiſſe reor.
Inſpice, ſi dubitas, Genitricis pectus; in illo
  Pectore cor geminum, ſi bene noſcis, erit.

Ad GAURICUM *cantus avium abſurdè imitantem.*

EPIGRAMMA LXXI.

ALituum modulos tibi flexile guttur in omnes;
  Omnes mentiris delicias nemorum;

Tu ſimulas cantus deſerti turturis, & quos
 Inſula Fortunæ nomine dives alit;
Errantem rigidis tu reddis acanthida dumis;
 Pellicis Iſmariæ priſca querela tua eſt:
Pſittacon alterno ſimulas imitamine; vocis
 Ille tuæ primùm nam ſimulator erat.
Tu ſimulas volucrum modulamina cuncta; cicadas,
 Pace tuâ, ſolùm, GAURICE, non ſimulas.

PASQUILLI *Statua*.

EPIGRAMMA LXXII.

MArmoreus gladiator eram; fatalia tela
 Tendere ſed poſtquam dextera trunca negat,
Me jubet eſſe novum vindex Rhamnuſia Momum;
 Cogit & arguto carpere cuncta joco.
Longa dies miſero membra abſtulit omnia; ſolam
 E ſaxo linguam vellere non potuit.

De eadem

EPIGRAMMA LXXIII.

NOn eſt, quòd ſtupeas mutilo ſi corpore ſurgit;
 Truncaque marmoreus brachia Momus habet.
Nam, velut in ſublime jacit qui ſpicula Cœlum,
 Soli, dum recidunt, officit ille ſibi;
Non ſecus hunc mulctant, mutilantque cadentia tela,
 In celſos fruſtra quæ jacit ipſe viros.

Ad DECIANUM *lautè bibentem.*

EPIGRAMMA LXXIV.

ALbanis, DECIANE, dum racemis
Jungis Lesbiacum, potenſque Chium,
Hauſtus ducere credis eruditè.
Quidni pocula ducat eruditè,
Miſcet tam bene Græca qui Latinis?

Ad DIVUM PETRUM *cum militis in Chriſtum Dominum irruentis aurem gladio amputaret.*

EPIGRAMMA LXXV.

MIlitis in charum cum peccet dextra Magiſtrum;
Cur auris pœnas vulnere ſecta luit?
Auris crimẽ habet; namque illa apprendere Verbum,
Impia non ſtricto debuit enſe manus.

Salmoneus, dum tonitrua imitatur, fulmine percutitur.

EPIGRAMMA LXXVI.

DUm mentiris iter rutilæ per nubila flammæ,
Altiſonumque refert biga citata Jovem;

In

In socium Regni jam te stellantis adoptat
Juppiter; & medio cedit in axe locum;
Quin etiam læto te fulminis igne salutat;
Plaudit, dum festâ te petit ille face:
Ne querere, immisso pereas quòd fulminis igne;
Fulmina nanque aliter plaudere non poterant.

In scriptorem ampullosum.

EPIGRAMMA LXXVII.

NOn te preterit, Atticas vocasse
Noctes nomine Gellium modesto,
Opus multigenâ scatens Minervâ,
Ætas quod sinet interire nulla.
Tu contra memorabilis, novæque
Apellas Pharon eruditionis,
Quos centonibus hinc, & indè centum
Infercis plagiarius libellos,
Qui debent piperi leves cucullos,
Qui sellas redolent Patroclianas.
Pharos sed tua tam nitoris expers,
Tam Pharos tenebris inhorret illa;
Quam sunt perspicuæque, candidæque,
Noctes, nomine quas bonus modesto
Olim Gellius Atticas vocavit.

Pegasus ex silice ungulâ percusso fontem educit.

EPIGRAMMA LXXVIII.

OLim Neptuni tellus percussa tridente
  Fortem de scisso pectore fudit equum;
Nunc contra; volitantis equi dum cæditur ungue,
  Neptuni puras terra ministrat aquas.
Si fatus iste foret terras quo tempore flammis
  Vastarunt, Phaëton, te Duce, Solis equi;
Tabida non liquidos tellus arescere fontes;
  Non ustas igni conquererere comas.
Bellorophontis Equum Phaëtonti opponere posses;
  Quot daret hic flammas, tot daret alter aquas.

DUX CLARENTIÆ *ab Eduardo Angliæ Rege jussus mortem eligere, mergi voluit in dolio vini Cretensis.*

EPIGRAMMA LXXIX.

DOlia sunt carcer; verùm mortalibus ægris
  Libertas illo è carcere multa venit:
Dolia sunt tumulus; sed Bacchus vivit in illis;
  Non vitam Bromius, ni tumuletur, habet:
Ergo qui condi sic flagitat, atque perire;
  Vincula nec voluit ferre, nec ille mori:

ALIUD

ALIUD

AD EUNDEM

EPIGRAMMA LXXX.

NOn gladium, laqueumque petis, nō toxica; condi
Poſcis Cretenſi, Magne Britanne, cado.
Cætera ſæpe animos irritant vina rebelles;
Algeat hoc rabies ſeditioſa mero.

De marmoreis quatuor amnibus in Fonte Fori Agonalis.

EPIGRAMMA LXXXI.

QUàm bene, quę docto ducunt de marmore vitam,
Romanum diſcunt flumina ferre jugum.
Cur modicis labantur aquis, ſi quæritis; Urbem
Ne Dominam mergant, parcius illa fluunt.
An nova quæ cernit Romæ miracula, luſtrat
Commodius, lento dum fluit unda pede?
Tibridis an frænat reverentia? namque ſuperbis
In Domini aſpectu non licet eſſe ſui.

ALIUD

ALIUD

EPIGRAMMA LXXXII.

NAscuntur reliqui propriis de fontibus amnes;
Sed contra è fluviis fons habet iste caput.

ALIUD

EPIGRAMMA LXXXIII.

QUis dubitet claudi Romanis mœnibus Orbem;
Maxima si Latiâ flumina in Urbe fluunt?

Ad Hæredipetam, qui pro pecuniâ baculum in arcâ extincti senis invenit.

EPIGRAMMA LXXXIV.

HÆres quòd baculi fias pro divite gazâ,
Iratum nullâ te ratione puto:
Præclara an nescis querni medicamina succi?
An nescis quantum sæva moneta nocet?
Si morbum optanti senior tibi pharmaca liquit,
Non potuit melius consuluisse tibi.

JULIUS CÆSAR, *Alexandriâ profugus, mari Ægyptio Commentarios manu præferens feliciter enatat.*

EPIGRAMMA LXXXV.

COgnati cineres, & Magni plaudite Manes;
Plaudite Romanus, Thessala Regna, rogus;
Naufragium Phario bellum Civile profundo
Sustinet, & Memphis vindicat Æmathiam.
Sed monumenta Ducis Thetis obsequiosa veretur;
Pectora vel nudi CÆSARIS illa timet.
Ille mari magno vulgat Civilia bella;
Thessala Cæruleas & docet arma Deas.
Divisit Fortuna Ducum quoque Numina ponti;
Hæc genero; socero sed magis illa favent.
Cæsaris illa studet fontes servare libellos;
Hæc tendit toto perdere turba mari:
Ille micat, summâ pendetque immobilis undâ;
Victa nec adversis brachia flectit aquis.
Littora jamque tenet Victor. Deterrime livor,
Magnanimum posthac carpere parce Ducem.
Numina tot contra tenuit quæ grande volumen,
Illa orbem meruit sustinuisse manus.

ALIUD

ALIUD

AD EUNDEM

EPIGRMMMA LXXXVI.

PRojice Civiles dictura volumina clades;
  Hæc vindex totis obruat æquor aquis:
Innocuos nescire velis hæc bella Nepotes;
  Sarciat & famam pagina mersa tuam.
O pudor! affuso posses cum perdere ponto,
  Tollis inoffensâ scripta cruenta manu:
Nosco truces animos; nec abactos corde Philippos;
  Si potes; excusa nunc Rubiconis aquas.

In Ganimedem Scabiosum.

EPIGRAMMA LXXXVII.

CUm tu comptulus elegante vultu,
Mentitus saguloque, penulâque
Meras munditias Columbulorum,
Intentam rapis hinc, & inde Romam,
Suspensam nitido & tenes capillo;
Bonos dicere quid putas Quirites?
Argutos digitos Ibera pellis
Succis perlita dum tegit, beati
Quos legunt Arabes, Syrique molles;

Far-

Furtivum jubar interimque prodit
Inde conscia rima dum Lapilli;
Bonos dicere quid putas Quirites?
Dum bombicina spissiore filo,
Acus Belgica quæ vigil paravit,
Ostentas humeris; & undulatum
Summis textile ventilas lacertis:
Multis Seplasiæ madens tabernis,
Et Milesia tota delibutus,
Vultus dum simulas, amica quales
Jovi sustulit unguibus volucris;
Quales Tyndaris aut secuta longo
Ingens perdidit Ilion duello,
Bonos dicere quid putas Quirites?
Hoc tu discere si cupis, docebo:
Apud te scabiem nimis beatè
Omnes degere prędicant Quirites.

DIVUS FRANCISCUS XAVERIUS
Indicum Gigantem per somnium humeris attollit.

EPIGRAMMA LXXXVIII.

XAverius nondum terras lustraverat, effert
Unde caput nigri Memnonis alba parens;
Et tamen Eoum attollit, fulcitque Gigantem;
Sopitosque artus India multa premit.
Post etiam, pede cum rapido tot littora obibit,
Dum solvet Stygio maxima Regna jugo;
Tot

Tot referet prædas tam parvo tempore; ut Indos
Victos, XAVERII somnia sola putes.

ALIUD
AD EUNDEM
EPIGRAMMA LXXXIX.

LArva laborantes humeros premit Indica, dura
Dum tua componit lumina nocte sopor.
Vires attollenda tuas probat India; misso
Exploratque humeros illa Gigante tuos:
India ne perdas posthac immania monstra;
XAVERIO exiguum tu quoque pondus eris.

ALIUD
EPIGRAMMA XC.

XAVERIUS visi non sudat pondere monstri,
Cum primùm somnum dispulit orta dies:
Uritur, exactæ noctis quem sustulit umbris,
Ficta quòd Eoi forma Gigantis erat.

ALIUD

EPIGRAMMA XCI.

TUrba Deo vigiles impendat cætera curas;
XAVERII Cœlo militat ipsa quies:
Expectare ratem serum est, quâ solvat ad Indos:
Lintea sunt lecti vela; Carina, thorus.

Ad Absalonem ex Arbore comâ suspensum.

EPIGRAMMA XCII.

STulte Puer, gladio viscatos scinde capillos,
A trunco ut redimas insidiante caput.
Maluit, ò demens! abrumpere stamina vitæ;
Quam resecare suæ stamina flava comæ:
Implicitus ramis malè culto crine pependit;
Occupat & vindex hostica tela liber.
Scilicet, ut cesset Lictor cum cannabe; gestat
Aurea frons laqueos; mens mala Carnifices.

ALIUD.

EPIGRAMMA XCIII.

QUi stupidum flavente comâ suspenderat Orbē,
Quàm benè suspensâ nunc perit ipse comâ

Despi-

Despice nunc alios elatâ fronte superbus;
Altum Cæsaries te tua rite facit.

Milites Sybaritici, Equis ad tibiarum modulos flexis, choræas agunt in Prælio.

EPIGRAMMA XCIV.

PRælia dum pubes miscet Sybaritica, mollis
Ad numerum dociles tibia flectit Equos:
Succedunt plectri post vulnera, vulnera ferri;
Et modulos sequitur quæ caret ira modo.
Divino præstanda fides si certa Platoni;
Musicus est, Orbem qui moderatur, Amor:
Dum regit argutas citharæ modulamine pugnas,
Incipit ipse etiam Musicus esse furor.

ALIUD

EPIGRAMMA XCV.

DUm vitæ reputat Sybarita incommoda, lætus
Fit meritò fidicen funeris ipse sui:

Ad AMILLUM *Poëtam extemporaneum.*

EPIGRAMMA XCVI.

NOcte laboratum Carmen non amplius unâ
Juratus narras terque, quaterque mihi:
Jures usque licet; nemo periisse tot horas
Talia scribenti credet, AMILLE, tibi.

A L I U D

EPIGRAMMA XCVII.

UT jugulent homines, surgunt de nocte latrones,
Romanæ fidicen dixit, amorque Lyræ:
Ut jugulent homines, vigilant de nocte Poëtæ,
Qui versus audit, dicit, AMILLE, tuos.

CAROLO V. CÆSARE HISPANIARUM REGE, *Navis Victoria, Duce Ferdinando Cortesio, in Hispalensem Portum redit, emenso Orbe Terrarum.*

EPIGRAMMA XCVIII.

PAr CAROLI fatis, velis victricibus implet
Jam Navis Portus, Bætica terra, tuos.

CA-

Carolus Imperio; rapido Victoria cursu,
  Terrarum hæc Orbem circuit; ille regit:
Non Carolum vultu fregit fortuna sinistro;
  Barbara nec fortem terruit unda ratem:
Non hostes Carolus, domitas non illa procellas;
  Non numerat palmas ille; nec ista suas:
Altera dum pelago, dum terris dimicat alter,
  Hic Terris major visus, & illa mari.
Orbe pererrato tumet hæc; tumet ille relicto;
  Hæc Ponti; Regni est fluctibus ille procul:
Carolus obscuro nitidos in fornice Soles
  Dum ducit, tutam quærit ad astra viam;
Emerita emeritum ut Regem ratis ista sequatur;
  Quod superest; Cœli jam meditatur iter.

ALIUD

Epigramma XCIX.

O Felix, cum sole ratis quæ dimicat; Orbem
  Circuit ille polo; circuit ista mari.
Grandem à Sole viam didicit ratis æmula; sed nunc
  Ferre diem ex illâ discere, Phœbe, potes.

Domitianus Imperator *muscas venatur.*

Epigramma C.

QUòd muscas Cæsar Latiâ venatur in aulâ,
  Degenerem carpit fama sinistra manum.

Improbe debueras tamen illi parcere Livor,
  Gesta forent fatui si tibi nota Ducis:
Nil nisi dum telas, ut aranea, texit inanes;
  Has vaga ne lædat bellua, jure timet.

Ad LINUM *Deceptorem.*

EPIGRAMMA CI.

ASTus turpiculos, malasque fraudes
Amicis struis, & struis propinquis;
Et, cum tendiculas dolosus omnes
Tecnarum jacis, ingerisque plaustra
Quotquot sunt, LINE, Sycophantiarum,
Bellè ludere te putas facetum.
Non vivam; nisi tu vices superbas
Persolves aliquando tot dolorum,
Taurinis redolatus ossa loris:
Parum, suspicor, hoc erit facetum.

Ad Philomusum, cùm Potionem Ægyptiam, vulgò, Caffè, *Cocolati præferret.*

EPIGRAMMA CII.

NUnc etiam portenta colit Nilotica tellus,
  Pocula dum tristi mittit amara fimo;

Seù

Seù liquor ingratus rabidi sit sudor Anubis;
  Seù fex Niliaci, colluviesque luti.
Quidquid id est; tibi quid dicam, PHILOMUSE; liquores
  Posthabito austeros qui cocolate bibis?
Ingenuis prius auriculis præfatus honorem,
  Dicam: Hæbrea tibi est aut soror, aut àvia:
Cui sapiunt cepæ Ægypti, cui roscida mella
  Desipiunt, illi non recutita gula est?

DIVUS FRANCISCUS *inter glaciatas aquas corpore volutato malum Cupidinem bebetat.*

EPIGRAMMA CIII.

MAgnanimos artus rigido dum gurgite versas,
  Comprimat ut Cyprias algida lympha faces,
Dive, tibi è glacie duplex victoria surgit:
  Namque Venus gelidis pulsa recessit aquis;
Et, propè collato cordis candore pudici,
  Crediderim victas erubuisse nives.

MARCI TULLII CICERONIS *caput Rostris præfigitur.*

EPIGRAMMA CIV.

TEnderet excelsum Rostris cum figere Lictor,
  Quod modo barbarico messuit ense, caput;

Hoc caput est, TULLI vellet cum dicere; clamans
Mentiris, dixit Roma, scelesté; meum est.

FERDINANDUS PORTUCARRERUS *Hispanorum in Belgio Ductor, effusis pomorum, nucumque sacculis, occupat Ambianum.*

EPIGRAMMA CV.

EXplicat HISPANUS Victor vexilla per Urbem,
Poma legit celeri dum vaga turba manu.
Quid rides captam pomis fallacibus Urbem?
Orbis non aliâ perditus arte fuit.

Ad Flaccum Maledicum.

EPIGRAMMA CVI.

OMnes usque licet carpas, non proficis hilum;
Quosque magis laudas, sunt in honore magis.
Arrige nunc aures; & porrige strenuus assem;
Nequitiam ostendo dum tibi, Flacce, novam:
Haud dubiè, quoscumque velis, damnaveris; illos
Laudibus incipias si celebrare tuis.

De

De Cereis Numismatis Pontificiis.

EPIGRAMMA CVII.

CAndida posthabitis referat cur cera metallis
Servatorem Agnum, noscere forte cupis.
Prætereo, quòd sæpe sacras liquefacta per aras,
Hæc ferat ardoris præmia digna sui.
Hic nobis Agnus Cœli commercia reddit;
Ceraque, quæ fuerant dissociata, ligat:
Sunt Agni molles; etiam mollissima cera est;
Et nive candidior surgit utrique color.
Cera imitata nives crebro tamen igne liquescit;
Hic etiam flammas, suspicor, Agnus habet:
Dant flores ceris vitæ præludia; & Agnus
Hic quoque, sum læti flos ego, dixit, agri.
Demum Cælestis de Virgine prodiit Agnus;
Virgineæ ceras & genuistis apes.

Ad Mustafum Turcici Exercitus Ducem Supremum, cum Viennam obsidens Pavones, Cycnos, & Psittacos ad ostentationem in Castris haberet.

EPIGRAMMA CVIII.

PArs quota Pannonici veniunt, quæ sarcina belli,
Quæ tua barbaricæ Castra sequuntur aves?
Sci-

Scilicet ingruerit cum vis inopina Gradivi,
Impiger & fortes Sarmata flectet equos,
Tunc tibi in hostiles turmas fortissimus umbo
Picta coloratæ cauda volucris erit:
Tunc carmen tibi tristis olor, meditataque verba
Ales pollicitam proferet Indus opem.
Splendida quid sequeris volucrum portenta? sinister
Vindicat en bubo teque, tuosque sibi.

ALIUD

AD EUNDEM

EPIGRAMMA CIX.

SI monitus Avium varios, atque omina servas,
A priscis ritus qui tibi fluxit Avis;
Dic, age; dulcisonas, & summâ pelle decoras
Quid facient Aquilæ Cæsaris inter Aves?
Segnia dum volucrum ferres examina; Ductor
Nec, Mustafe, bonus; nec bonus Augur eras.

EPI-

EPIGRAMMATUM
LIBER IV.
AD LECTOREM.
EPIGRAMMA I.

UNdis adſita littoralis ora
Jucundam facit ambulationem:
Facit, dum legitur propinqua tellus,
Jucundam mare navigationem:
Dum præſentibus aſſuit vetuſta,
Jocis ſeria Carminum libellus,
Jucundam facit ille lectionem.
Cum nec delicias facetiarum,
Nec puras Veneres, ſales venuſtos;
Cum nec Dædalei laborioſos
Hic præſtet liber ingenj volatus;
Saltem copia diſcolor moleſtæ
Partem detrahet, auferetque curæ.
Hoc te præmonitum, benigne Lector,
Æqui conſule: nunc lege; aut quieſce.

Uvæ acinus Anacreontem Poëtam suffocat.

EPIGRAMMA II.

DUm multo ſatur ipſe mero Leneja laudat
Pocula dulciſono Tejus ore ſenex,
Vocem, animamque ſimul concreto nectare granum
Abſtulit; heu duras reſtituitque vices.
Subſtitit ad modulos acinus dum dulce canentis,
Eliſit longâ guttura preſſa morâ.

ALIUD

AD EUNDEM

EPIGRAMMA III.

OCcidis infelix tenerorum luſor Amorum,
Obſtruit anguſtum dum tibi Bacchus iter:
Sævit atrox acinus, vinoſaque guttura torquens,
Plus mille exhauſtos geſtiit ulta cados.

PERILLUS *Ænei Tauri Inventor, in illum primus conjicitur.*

EPIGRAMMA IV.

AUthor inexpertum primus mugire Juvencum
  Edocet, & pœnas erudit ipſe ſuas.
Ingemit infrendens, Tauroque incluſus aheno
  Promit, quos aliis ſtruxerat, ore ſonos:
Ejulet uſque licet ferali murmure; nulla
  Vox, Aſtræa, tibi dulcior eſſe poteſt.

ALIUD

EPIGRAMMA V.

TArtara cum peteret Tauri fabricator aheni,
  Imbuere ipſe ſuum primus adactus opus;
Contremuiſſe ferunt vulgus lachrymabile; Diti
  Suggereret pœnas nè Faber ille novas.

DIVA

DIVA MARIA MAGDALENA DE PAZZIS *Christi Domini effigiem è sublimi loco pendentem à sensibus alienata divellit.*

EPIGRMMMA VI.

RApta rapit sculptum Virgo sublimis amorem,
Præda, & prædatrix Numinis ipsa sui.
Edidicit Virgo tales ab amore rapinas;
Pectora diripuit Virginis ille prius.

ALIUD

De eadem

AD D. MARIAM MAGDALENAM *Christi Domini Alumnam.*

EPIGRAMMA VII.

MAGDALA, sanguineos cum funderet undiq; rivos
Quadrifido fixus robore Divus Amor,
Fronte repercussâ fusos tibi scindere crines
Sat fuit; & mæstas imbre rigare genas:
Sed tristi præsens letho si Tusca fuisset
MAGDALA; plus aliquid, suspicor, ausa foret.

Fla-

Flammis illa suis elata, refigeret altâ
  Numinis amplectens pendula membra trabe.
Quæ potuit celsis pictum divellere muris;
  Segnior ad verum non foret illa manus.

Ad EUNUM *Ludimagistrum*.

EPIGRAMMA VIII.

VErgilium, non Virgilium scripsisse Priores,
  Pro patriis pugnas scilicet, Eune, focis:
Palliolum, & Cynicam spondes pro pignore barbam,
  Atque flagelliferæ sceptra severa manus.
Hoc sancire putas antiqua numismata centum;
  Juras, non aliter saxa vetusta loqui.
Plurima dum scribis super hæc: farcimine multo
  In manibus vastum jam tibi crescit opus.
Parce, precor, chartis: scripsit jam tanta nec ipse,
  De cujus certas nomine, Virgilius.

SISIGAMBIS *Darii Mater*, *Alexandri Macedonis Captiva*, *post hujus mortem*, *dolori impar extinguitur*.

EPIGRAMMA IX.

MAjor Alexander domito male creditur Orbe:
  Major Alexandro Persica mater erat.
Dum proprias regalis amat Captiva catenas,
  Victorem meruit vincere victa suum.

Alter

Alter dum gladio; dumque altera certat amando,
Hostes ille suos subjicit; ista suum.
Vincula sustinuit Victoris fœmina fortis;
Victoris sed non sustinet illa necem:
Victa dolore parat Regi comes ire sepulto;
Misceri & clari Manibus illa Ducis.
Pellæus Juvenis frontem tunc extulit urnâ:
Spectator magni funeris esse cupit.
Græcia, nunc plaudas; nunc omnia vicimus, inquit,
Dum Regina meo funere victa cadit:
Vicimus Heroes reliquos, dum vita manebat;
Captivam invictam vicimus è tumulo.

Ad Rudem Tonsorem.

EPIGRAMMA X.

ASperior limâ, fungo callosior, horret
Et tibi scruposo pumice dura manus.
Parcere saponi, cultros & vendere posses;
Nam te Tonsorem dextera sola facit.

De XENOPHONTIS *Cyropædiâ, &* *Republicâ Platonis.*

EPIGRAMMA XI.

EGregium XENOPHON magno molimine Regem
Instituit; Sapiens optima Regna Plato:
Quem

Quem ftatuit Regem XENOPHON, nõ vidimus unquã:
 Celfa nec exemplum Regna Platonis habent.
Non defecturis nimium fublimia captat
 Dum chartis; operam lufit uterque fuam;
Pro meritifque ferunt convicia: fabula Cyrus
 Vulgo eft; funt Graji frigida Regna fenis:
Quæ non affequimur, vetus eft damnare libido:
 Ardua quàm virtus, plus fibi quifque placet.

Ad SENEM *ficto Capillitio ornatum.*

EPIGRAMMA XII.

DIffimulas flavo tua proxima fata capillo;
 Ridet inauratos fed Libitina dolos:
Ifte tuis crinis facile eft antiquior annis;
 Quod minimè reris, te probat effe fenem;
Quamque fuis tegit exuviis, pede fæva fuperbo,
 Non ne vides? Frontem mors premit atra tuam.

Ad Apes in fpineo CHRISTI DOMINI *ferto nidificantes.*

Alluditur ad illud Quintiliani:

Quid non Divinum eft apibus, nifi quòd moriuntur?

EPIGRAMMA XIII.

INcautæ fugite hinc volucres; quæ Numina fixit,
 Non parcet parvis fpina proterva feris:

Vertice non isto Pæstana rosaria florent;
 Aut rosa si rubet hac fronte, cruenta rubet:
Agmine sed denso perrumpit spinea castra,
 Et pulchram in mortem mellea turba ruit.
O utinam, dicunt, jaculis moriamur in istis;
 Quis tunc Divinas esse negabit apes?
Quid non Divinum est apibus, nisi funera? sed nunc
 Hoc quoque Divinum, quòd moriuntur, habent.

De Crystallinâ Mortis effigie.

EPIGRAMMA XIV.

PErspicuam Mors jure capit crystallina formam;
 Omnia clarescunt, quâ properante, magis.

JOSUE *Ductor Hebræorum vocis imperio Solem sistit.*

EPIGRAMMA XV.

PLenior ut JOSUÆ, surgat Victoria, Titan
 Attonito jussas servat in axe moras.
Non equidem stupeo, Isacidum fortissime Ductor,
 Defixum validâ voce stetisse diem:
Ut tanto cursum suspenderet ille triumpho,
 Debuerat jussu non eguisse tuo.

Ad

AD PATREM BARTHOLOMÆUM CAREGNO *in Theologicis disciplinis Præceptorem meum, ut doctissimorum Operum editionem maturet.*

EPIGRAMMA XVI.

EDere quid parcis, quo postera doctius ætas
Nil videat, Tiberis grande, Tagique decus?
Ni facias; vereor totum sparsura per Orbem
Posteritas tantas ut populetur opes.
Relligio exoret nunc saltem vota morantem
Publica; nam furtum te prohibere decet.
Annue, sint ævi munus, non præda futuri,
Quæ tegis ingenii tu monumenta tui.

PORCIA *haustis Carbonibus moritur.*

EPIGRMMMA XVII.

BRuti Uxor, magni soboles generosa Catonis,
Æquavit Patrem Filia; Sponsa Virum.
Arma negata videt sibi dum moritura, jugalem
Hausto nobilius consecrat igne fidem.
Extinguat si forte facem; Carbonibus istis,
Unde illam reparet, castus habebit Amor.

Ad Muscam Carmina scripturienti importunè molestam.

EPIGRAMMA XVIII.

FUmosæ laridum petas culinæ,
Ales sordidulo proterva rostro;
Quam crebro juvat incitare morsu,
Semperque instabili recursione
Libris implicitum malis Poëtam.
Sic te nec Boreæ rigor, nec altâ
December nive torridus, geluque
Contractis adigat latere pennis;
Sic sturni nigra guttura, & malorum
Incursus fugias araneorum;
Thracum Conjuge rapta nec Tyranni
Pullis pabula des hirundininis.
Sed nec turriculas puer jocosas
Ineptâ tibi complicet papyro;
Leves improbus aut revellat alas,
Et longo jubeat volare filo.
Cunctis denique sic legatur oris
Vestræ gloria Lallius Catervæ,
Vestri buccina Lallius laboris;
Qui vos Castalio sacravit æstu,
Supra Mæonias tulitque ranas,
Et supra Culicem Maronianum,
Passerem super & Cattullianum.
Ergo pulsa mihi, repulsa frustra
Gyros improba pone Circulatrix;

Tolle,

Tolle, ſtridula, tolle murmurillum;
Quod me Palladiis vacare curis
Scribentem vetat, & vetat legentem.
Vafris ocyus hinc faceſſe pennis;
Cicindela nitens amas vocari,
Seu tu ludicra noctiluca dici,
Seu nitedula, per vepreta ſaltus
Quæ ciet, brevibus coruſca flammis.
Ut hinc te celer auferas; repoſcunt
Mites Hendecaſsylabi; feroci
Quos ſi deſpicias ſuperba faſtu;
Stringam, væ tibi, felleos Jambos.

De Pulvere Cyprio.

EPIGRAMMA XIX.

QUę ſatis humanos reprimant medicamina faſtus,
Si vires ipſo è pulvere luxus habet?

ALIUD

EPIGRAMMA XX.

PArcite odorato conſpergere pulvere crines;
Nam Cyprio Cyprius non caręt igne cinis.

Nealces, ſpongiâ in Tabulam jactâ, ſpumam Equi, quam delineare arte non potuit, caſu perficit.

EPIGRAMMA XXI.

ARtem ſub tanto diſcit Fortuna Magiſtro;
Tunc quoque cum nolles pingere, Pictor eras.
Quadrupedem pinxit tua dextra; ſed impete cæco
Projecta in tabulam ſpongia fecit Equum.
Claſſica ſi circum ſtreperent, lituique minaces,
Clangeret & rauco bellicus ære fragor,
Scilicet in pugnam rueret; telâque relictâ,
Hinnitum auditis redderet ille tubis:
Præſtat Dædaleâ mutum ſed vivere telâ,
Quàm ſubitâ Martem ſollicitare fugâ;
Clarius & ducit, quàm centum vincere turmas,
In tabulâ Invidiam vincere poſſe tuâ.

Eunomi Locrenſis Citharœdi Chordam abruptam Cicada ſupplet, & moritur.

EPIGRAMMA XXII.

STridula vox nemorũ poſtquam modulamine dulci
Supplevit doctæ fila reciſa Lyræ,
Hic demum vitam poſuit, cantumque; canoræ
Ne mortis titulos ſolus haberet olor;

Hoc

Hoc major; Cycnum per longa silentia vitæ
  Credibile est serum nam didicisse melos;
Hæc contra, stridens cum vixerit ante cicada,
  Funeribus facta est nunc Philomela suis.

Ad Auri Fossorem ruinâ oppressum.

EPIGRAMMA XXIII.

IPse manu cæcum scissâ tibi rupe sepulchrum
  Construis; atque diem projicis ante diem:
Demum avulsa ruens immani pondere cautes
  Opprimit insanum, comminuitque caput:
Forsitan & tempus veniet, concreta corusco
  Cum tua longa dies interet ossa luto:
Tunc pro pallenti glebâ, discrimine nullo,
  Effodient cineres sarcula avara tuos.

ALIUD

EPIGRAMMA XXIV.

DIcere nemo potest hic te post fata sepultum:
  Vita tibi tumulus nil nisi tota fuit.

ALIUD

EPIGRAMMA XXV.

EFfosso de Monte petis qui Tartara, ripas
Ire viâ ad stygias non breviore potes.

Ad Furem, qui ex Arâ Deiparæ pensilem lychnum argenteum sustulit.

EPIGRAMMA XXVI.

IMmerito carpis non æqui Judicis iram,
Quòd, furti pretium, sustineas laqueum:
Cum lychnum raperes, fugisti, fune relictâ;
Nunc bonus hanc etiam præbuit ille tibi.

AD EUNDEM

Post erepta ex Arâ DIVI FRANCISCI XAVERII *argentea vasa ad Ælium Pontem suspensum.*

EPIGRAMMA XXVII.

COnvasas: igitur properas discedere; sed quo?
Dic, age, facundi per sacra Mercurii:
Nem-

Nempe triumphalem festinas visere Pontem,
Ælius imposuit quem, Tiberine, tibi.

ABRAMUS *Filium* ISAC *immolaturus montem ascendit.*

EPIGRAMMA XXVIII.

ARma manu novus attollit de Patre Sacerdos,
Deprimit & soboles victima facta caput.
Corpora si spectas, natum procumbere credas;
Cerne animos; dices protinus, ille ferit:
Sed simul imperium revocat Deus, & Pater ensem:
Scilicet hic nato parcit; & ille Patri.
Inspice nunc hilares vultus natique, Patrisque:
Utrique ante aras hic quoque vultus erat.

DEMOSTHENES *hausto ex calamo veneno moritur.*

EPIGRAMMA XXIX.

BAlsama quæ famæ stillaverat Attica cuspis,
Toxica nunc Domino porrigit atra suo.
Non rudis ad clades venit lethalis arundo;
Jam prius Æmathium foderat illa Ducem.
Mæsta tamen Dominum cum tolleret; huic ego vitæ
Plus dederam, visa est dicere; quam rapio.

ALIUD

ALIUD

EPIGRAMMA XXX.

MÆrebat Libitina, gravem quòd dextera falcem
 Lenta nimis votis tenderet arma suis.
Ergo leves humeris aptat pharetrata sagittas;
 Atque procul jaculo fata ferente nocet.
Sic quoque, quòd terram non ullis ardua pennis,
 Ignavo premeret pondere, tristis erat.
Quærenti celeres, Cœlo quas explicet, alas;
 Orator pennas addidit iste suas.

Ad Turpilianum Tabacchivorum.

EPIGRAMMA XXXI.

SUgere Cantabrico pastillos ambare credis,
 Cum sorbes Brasilam, Turpiliane, luem.
Intortæ frondes olido tibi semper in ore;
 Semper & exectâ sordida fronde manus.
Gutture cum luteo glebas vomis Americanas,
 Ut socii fugiant undique, nonne vides?
Ut valeam, dicis, dens pinsitat usque polentam,
 Triste quod & solers India mittit olus:
Ut valeas? narras mihi somnia: tene malignâ
 Peste laborantem posse valere putem?
Fac tamen, ut valeas: socios suffimine tetro
 Sed mactas; tanti non placet empta salus.

Mit-

Mitte venenatos, cænosa catharmata, succos:
Obscenæ frondes, ut valeas; valeant.

RANSALDI *Galliæ Marescalli in ligneo Crure vulnerati festiva responsio.*

EPIGRAMMA XXXII.

FErrea RANSALDUM dextro pila crure minorem
Fecerat: abscissum lignea sura subit.
Sed pila roboreum rursus metit altera fulcrum;
Dum vectus celso prælia miscet equo:
Inscia turba dolet casu perculsa sinistro;
Pondere cum magno tibia vulsa ruit.
Subrisit RANSALDUS; &, his mihi cruribus, inquit,
(Ne tumeant hostes) arca referta Domi est.

In illud JUVENALIS: *Mors sola fatetur quantula sint hominum corpuscula.*

EPIGRAMMA XXXIII.

NUbibus elatas, & vastâ mole patentes
Jam vincunt ipsas Regia busta Domos.
Splendidius cineres habitant tellure sub imâ,
Pergamis Attalicos quàm colat Aula Duces:
Quantula sint hominum corpuscula; scilicet ipsa
Demonstrare satis nec Libitina potest.

DIVUS

DIVUS FRANCISCUS PAULANUS *à Naviculario repudiatus, substrato pedibus pallio, Fretum Siculum trajicit.*

EPIGRAMMA XXXIV.

QUi pede vel nudo poterat per Cærula ferri,
Brutia suppositâ cur freta veste secat?
Nobile prodigium, semper despectus haberi
Qui studet, obtentu, quo valet, ille tegit:
Ergo, ne stupidi videant miracula fluctus,
Pressas villoso gausape condit aquas:
Falleret utque alto spectantes littore Nautas,
Qualemcumque rudi conficit arte ratem.

ALIUD

EPIGRAMMA XXXV.

TRinacrio nova vela mari sua pallia pandit
Dum Salentini gloria prima soli;
Frendet Scylla ferox, & inexaturata Charybdis
Sic etiam è mediis ludimur, inquit, aquis?
Vicimus æratas frustra per sæcula Classes,
Si nunc hos animos penula vilis habet.
Quod si Regnator vasti novus iste profundi
Turgida inoffensum per freta carpit iter;

At

At ſpoliis liceat ſaltem tumuiſſe ſuperbis;
Et decoret noſtros celſa rapina ſinus.
Ergo Scylla canes acuit, ſcopuloſaque ſaxa,
Altera ſe crebro vortice cæca rotat;
Æthera terrificis latratibus illa fatigat;
Molitur tacitos ſævior iſta dolos:
Utraque dum prædam ſtudiis diſcordibus ambit;
Oppoſiti metam littoris ille tenet.

Ad Tuccam malum Poëtam.

EPIGRAMMA XXXVI.

OMnibus in pectus cervix collapſa recumbit,
Magnaque fit ſubitò, te recitante, quies:
Quid flexæ faciant, parcas tu quærere, frontes:
Turba tibi, hoc certum eſt, annuit, atque ſilet.

ALIUD

EPIGRAMMA XXXVII.

CArmina cum recitas dulcis ſopor irrigat omnes;
Sirenum cantus quis neget eſſe tuos?

ALIUD

ALIUD

Ad Amicum insomniâ laborantem.

EPIGRAMMA XXXVIII.

INsomnes quereris noctes te ducere, quamvis
  Sternat olorinus languida membra thorus.
Non multo prodest accersere Morphea Baccho;
  Cænula parca nocet; sed neque lauta juvat:
Sumpsisti roseis medicata papavera succis;
  Non tulit optatam triste papaver opem.
Quas tibi non herbas, quæ non medicamina frustra
  Docta, sed, heu vanâ diluit arte manus?
Mitte Machaonias curas, & Pæonis artem;
  Non facit ad morbum turba togata tuum:
Quam nullus præstet tibi Pharmacopola salutem,
  Ferre soporifero carmine Tucca potest.

Ad ANNIBALEM, *cum ex annulo venenum exsugeret.*

EPIGRAMMA XXXIX.

CLadibus Hesperios repetitis obrue campos;
  Et jubeas saturos sanguinis ire lacus:
Naufragium ferale brevis tibi gutta ministrat.
  Hic Trebiam moriens, hic Thrasymenon habes.

ALIUD

ALIUD

EPIGRAMMA XL.

SÆva Ducem Lybicum postquã Fortuna reliquit,
  Instat atrox terris, sævit & illa salo;
Annulus optatæ mortis sponsalia signat,
  Subscribit gelidâ queis Libitina manu:
Annulus est fidei pignus; præstare relicto
  Hinc Domino extremam debuit ille fidem.

ALIUD

EPIGRAMMA XLI.

A Gladio Annibalis discit, reor, ipse ferire
  Annulus; illustris versat utrumque manus:
Gemma nocens plus fortis habet; namque ille Latinos
  Perculit; hæc ipsum sustulit Annibalem.

De Cinna Scriptore loquaculo.

EPIGRAMMA XLII.

QUid, vicinia criminosa, falso
Cinnam judicio, levique damnas?
Avarum vocitas, & Euclionis,
Chremetisque Nepotulum salutas:

Hæc

Hæc te dicere perperam, libelli
Clamant, edidit ille quos recenter,
Largos, Juppiter, & benigniores.
Quid ni? Nam tribus explicat libellis,
Quod possez tribus explicare verbis.
Abunde est mihi Cinna liberalis.

Ad Gelliam gypsatam.

EPIGRAMMA XLIII.

URbe fremunt totâ cum Bacchanalia, sumit
Cur non personam Gellia? Semper habet.

ALIUD

EPIGRAMMA XLIV.

QUòd te cervicis flexæ non dignor honore,
Obvia succenses, Gellia, sæpe mihi.
Cerussata tuos operis, gypsataque vultus,
Dividit & frontem non tua Cæsaries;
Beryllis oneras lucentia colla, manusque;
Tota peregrinâ merce sepulta lates.
Vis stibium, lapides, Minium, cretamve salutem?
Reticulo aut flectam, calceolisque caput?
Hæc solùm video, cum Gellia permeat; ipsam
Juratus possum dicere, non video.

Ad

AD DIVUM PHILIPPUM NERIUM, *cujus Cor divino Amore exæstuans Pectoris costas perfregit.*

EPIGRAMMA XLV.

CUm latè Populis studeas succurrere, terris
Tu spatiosa magis pectora, Dive, geris:
Pectore sub tanto, velut arcto in carcere, corda
Quæ tua subsiliunt, quanta fuisse putem?

ALIUD

EPIGRAMMA XLVI.

ÆStuat inclusum, & totas incendere terras
Virginei poscit cor, properatque Senis.
Cur pectus saliens fregit, ne quærite; flammis
In cineres versum credidit esse suis.

DAVID *Pastor ictu lapidis Gigantem interficit.*

EPIGRAMMA XLVII.

PAstor eras; certoque lupum dum percutis ictu
Insidiatorem, nunc quoque Pastor eris.

Erudit hic fundâ dextram, quæ ſceptra tenebit;
Quàm bene nunc fundam, tam bene ſceptra geret.
Victoris magni in ſtatuam non æra Corinthus;
Viſcera non mittat velificata Paros;
Pone triumphalem lapidem, quo perculit hoſtem;
Par huic nulla Paros, nulla Corinthus erit.

Amphion citharæ cantu Thæbarum muros ædificat.

EPIGRAMMA XLVIII.

AMphion nemus auritum dum carmine dulci
Mulcet, Apollineas ſollicitatque fides,
Ardua miratur decreſcere ſaxa Cytheron,
Ardua Dircæos ſaxa ſecuta ſonos.
Argutæ adrepunt cautes, & mœnia condunt,
Ne deſit Thæbis, Cadme, corona tuis.
Ordine dum ſaliunt certo, dum ſponte reſidunt,
Humanâ lapides vivere mente putes;
Ad numerum coëunt, ſurgunt, ceduntque, tenentque
Quiſque ſuum, citharâ præcipiente, locum.
Ut diſcant alii mentes effingere recto,
Et dociles legum fræna, jugumque pati,
Cecropios adeant, quos Porticus ornat, alumnos,
Aut quæ rixoſa pulpita lite calent;
Hæc eadem muris diſce, ô Thæbane, Magiſtris;
Non homines; lapides, quos imiteris, habes.

Ad Bombilianum ligneum gladium in vaginâ gerentem.

EPIGRAMMA XLIX.

CRedere si dignum est; tibi Scanderbegica cedit,
Cedit & Orlandi sæva machæra tibi.
Ut tenues raphanos, stricto metis ense Gigantes;
Saltibus impunes non finis ire feras.
Hæc tibi jactanti non ægrè credimus; ensis
Non dubiam dictis nam probat esse fidem.
Non gladius Geticos Ursos, Libycasque tremiscit
Iste Tigres; tineas, Bombiliane, timet.

Ad Castricum Causidicum veste rusticâ personatum.

EPIGRAMMA L.

RUricolæ simulas, Baccho regnante, figuram;
Et sic personam, Castrice, ferre putas.
Erras: illa probè inscito tibi vestis inhæret;
Larvatum doctâ te reor esse togâ.

AD PRINCIPEM LUDOVICUM BADENSEM.

Cum ad Salanchemenium memorabilem Turcarum cladem edidisset, frustratâ spe hostium exiguas Germanorum copias undique obsidentium.

EPIGRAMMA LI.

ODrysias LUDOVICUS ubi crebrescere Lunas,
Bistonio septas vidit & hoste vias;
Risit, & innumeros tanquam ipse obsederit hostes,
Latum Threicio sanguine stravit iter.
Sublatum celeres rear evasisse per auras;
Sed terrâ elapsum funera tanta probant.

Aliud ad Thraciam.

EPIGRMMMA LII.

FUgerit è manibus tibi quòd Victoria præsens,
Hæc pedibus debes fata sinistra tuis.
Thracia, si nescis, magnum est Victoria pondus,
Tardasset celerem sarcina tanta fugam.
Pondere te tanto BADENSIS dextra levavit.
Quantum collibeat nunc fuge; nam levis es.

Ad Thraciam Bello Hungarico semper victam.

EPIGRAMMA LIII.

INſtabilis mutes poſthac Inſignia Lunæ:
  Eſt nimium conſtans cladibus illa tuis.

De DIVO BENEDICTO, *& Totila Rege Gothorum.*

EPIGRAMMA LIV.

DUctor Hyperboreus, gelidâ flammatus ab Arcto,
  Ære graves acies imperioſus agit:
Scilicet Heſperiâ in magnâ nova figere Regna
  Inculto veniens ex Aquilone flagrat.
Umbroſi nemoris cultor tunc forte latebat
  Rupe cavâ Civis, Nurſia clara, tuus:
Ille etiam ſacro molitur Regna receſſu;
  Regna per incertas non peritura vices:
Quæ non feciſſent unquam præſagia Delphi,
  Quæ maneant geminos, accipe, Regna Duces.
Concidit Arctöi Regnum, faſtuſque Tyranni;
  Hauſit & inſanum militis haſta latus.
Condidit Imperium cunctis memorabile ſæclis;
  Deſpectus caveæ qui brevis Hoſpes erat.
Sylvicola Heroës luſtro tot præbuit uno;
  Quot pedites ſignis duxerat ille ſuis.

In Funere PATRIS GULIELMI DONDINI *Societatis Jesu Scriptoris eximii.*

EPIGRAMMA LV.

HUc omnis chorus elegantiarum,
Lusus ingenui, disertulique,
Molles nectareis jocique pennis,
Lætos, quod bene verterit, volatus
Huc advertite, quotquot estis omnes:
GULIELMI cineres volate circum,
Quo se Felsina cive ter beatam
Ritè commemorat; minorque Rhænus
Grandescit thalamo tumentiori;
Plectra mascula, copiamque fandi
Ut referre sui putes Alumni.
Nunc ille implicitus choris piorum
Quæsitam meritis perennitatem
Doctis prorogat, asseritque chartis:
Sive non pavidas agit Camenas
Clivosum per iter, leves miricas
Fortis temnere, desidesque valles:
Sive nexilibus trahit catenis
Aures, eloquio potens soluto:
Seu molimina Gallici furoris
Narrat irrita; Belgicumque Martem
Non lentum sociare signa, longo
Metu & Sequanicos levare muros.
Verum, proh facinus, scelusque! tandem
Phœbi delicium, canorus ille

Olor

Olor conticuit; Remi Nepotes
Doctus Pierio beare cantu.
Sed vernant tamen, & vigent supremi
Invito cineres rigore saxi;
Quos ros Idalius, virensque Daphne,
Quos & textilibus tegunt corollis
Flores, munera vagientis anni:
Et mæsto chelys accubans sepulchro
Ciet languidulos modos; nimisque
Parcas increpitat licentiosas.

De VIRGINE DEIPARA, *cum* D. ELISABETH *inviseret*.

EPIGRAMMA LVI.

DUm subit exiguos, felicia tecta, Penates
Conceptum VIRGO mox paritura DEUM;
Hospitis ad tantæ congressus exilit Infans;
Claustraque materni laxat iniqua sinus:
Ut nato discat præcurrere parvulus, ipsa
Erudit ad cursum mollia membra Parens:
Grande Puer nomen meruit; qui matris in alvo,
Vel cum non posset currere, Cursor erat.

ATIS Cræsi filius mutus, Patrem de periculo in prælio admonens, primum loquitur.

EPIGRAMMA LVII.

UT Cræsum peteret, scisso velamine, cœpit
 Cernere, cæca prius quæ Libitina fuit:
Libera vidit Amor torquentem lumina mortem;
 Et risit motâ terque, quaterque face.
Mox Pueri in magnam solvit dum guttura vocem,
 Alarum excutiens mobile vellus, ait.
In Patrem haud unquam tantum mors cæca videbit;
 Quantum clamabit pro Patre mutus amor.

Ad PONTILIANUM *Poëtam ineptum.*

EPIGRAMMA LVIII.

TRansversi signata notis tibi turpiter unguis
 Censor, quæ dederas carmina, restituit:
Quælibet indignos vultus proscissa malignè
 Pagina, Deiphobus Virgilianus erat.
Euge, Papæ; scriptor non es de Plebe; Libelli
 Sed sapiunt ungues, PONTILIANE, tui.

DIVUS

DIVUS ANTONIUS PATAVINUS *de rebus Divinis verba faciens Pisces Auditores habet.*

EPIGRAMMA LIX.

DEserto clamat dum Littore Lusius Heros,
Fluctivagi accurrunt, squamea turba, greges:
Ille pio tenet eloquio genus omne natantum;
Annuit ad sacros picta caterva modos:
Nec mirum: prædæ certos tot projicit hamos,
Dulcia nectareo verba quot ore fluunt.

Ad Comitem Veteranum, cum ad Portas Ferreas fuso Turcarum Exercitu, in Acie cecidisset.

EPIGRAMMA LX.

ISmarios latè Victor cum fuderis hostes;
Obruerant signis qui tua Castra suis;
Cum retro celeres referant Insignia Lunas,
Pannoniæ longus qui modò terror erant;
Videris Odrisiæ cum surgere stragis acervos,
Et scithycâ Hungaricos cæde tepere lacus;
Ipsa tamen se tanta putat Victoria victam,
Gaudiaque atratâ squalida veste gemunt;

Pugnæ

Pugnæ infelicis Germania damnat honorem,
Atque odit palmas clara Vienna suas.
Mœsta diem signat lachrymis Europa nefastis:
Optime Dux; tanti, te periisse, fuit.

Mater Hebræa fame vexata Filio vescitur.

EPIGRAMMA LXI.

CUm Pueri jejuna parens discerperet artus;
Tingeret invitas jamque cruore manus:
Nate, refert, miseræ in gremium rediture parentis,
In sævæ credas Tigridis ire sinus.
Voce Puer tremulâ quid tigres objicis? inquit;
Nulla solet partus dilacerare tigris.

Ad Cynicum.

EPIGRAMMA LXII.

CUm te turba frequens Cynicum vocat, ilia tendis;
Et, tanquam Cyrum dixerit esse, tumes.
Cum Cynicum dicit, pastum te lacte canino
Prædicat; hoc etiam nomine Cyrus eris.

GUISIÆ

GUISIÆ DUX ex *Turonensi Arce, Sericæ scalæ in artocreate inclusæ beneficio, evadit.*

EPIGRAMMA LXIII.

Fida manus duro, PRINCEPS, te carcere solvit,
  Aurum mentiti clarior arte Jovis.
Triticeam extendit massam, cui diluit omnes
  Integer excerpto lacte vitellus opes;
Irrorare quadram nec parcit arundine dulci,
  Quam ratis Occiduis Lusia vexit aquis.
Quid non audet amor? textos hic vellere Serum
  Condit, Captivo fercula grata, gradus.
Concamerat Cereale cavâ testudine Crustum;
  Ne prodat cæcos conscia rima dolos;
A pedibus Puer hæc Lotharo munuscula mittit,
  Supplicium Domini cui grave pondus erat.
Ille dapem dubiam, & fraudes miratus amicas,
  Serica dum dextrâ vincula solvit, ait:
Si me captivum duræ fecere catenæ,
  Nunc mea libertas nascitur è laqueis.
Quamvis nec laqueos; geminas mihi sufficit alas,
  Nexuit hæc gratâ qui mihi vincla manu.
Desilit hæc fatus celsæ de culmine Turris;
  Et tutum tacitâ nocte capessit iter.
Dædalus hic tuus est ruptis, ò Gallia, vinclis;
  Tempore nec longo, Mars erit ille tuus.

Ad

Ad D. FRANCISCUM, *cum cœlestis Citharædus dulcissimo sonitu ægrotantem reficeret.*

EPIGRAMMA LXIV.

ASTrorum Civis buxum dum pectine pulsat,
Cedit ab obsesso pectore victa lues.
Sæpius hos ego te morbos optare putarim;
Ut tanto possis Hospite sæpe frui.

ALIUD

EPIGRAMMA LXV.

CEdere non miror morbum, Cœlestis Jopas
Sidereâ tactas dum movet arte fides.
Ægrotum auditis miror sed vivere chordis;
Deliciis poterat qui periisse suis.

ALIUD

EPIGRAMMA LXVI.

DIvinare licet morbi causamque, genusque,
Qui tenet angusto te, cruciatque thoro.

Cœ-

Cœlestem morbum Medicus notat æthere lapsus:
Hæc tua, nî fallor, febris amoris erat.
Hem, quid agis? cui te tradis, subiçisque medenti?
Non minuit morbum; sed fovet ille tuum.

De Hispanici Oratoris solemni Equitatu, quo Neapolitani Regni Tributum Pontifici Romano defertur.

EPIGRAMMA LXVII.

EN Princeps, gemino leges qui dividit Orbi,
Subditur Imperio, Roma superba, tuo.
Tibris agit festivus aquas, Collesque resultant,
Dum clarat stupidum splendida pompa diem.
Qualis erit patriâ Regnator Iberus in aulâ;
Si tantum obsequii pompa decoris habet?

Mulieres Carthaginienses abscissos crines tradunt ad tendendos Militum arcus.

EPIGRAMMA LXVIII.

PUnica cum conjux armaret crinibus arcus,
Mars galeâ fertur dissolvisse caput:
Quam terræ allidens; i, pondus inutile, dixit;
Fœmina quam belli me docet esse moram.

Nequidquam fronti præstat tutamina ferrum;
Talia si demens invidet arma mihi.

Ad Hæbreos ad Montem Doliolum singulis Sabbathis confluentes, ubi vino ex adsitis cellis hausto se onerant.

EPIGRAMMA LXIX.

FOnte salit multo dictus de Vimine Collis;
Multa Palatino vertice lympha fluit;
Perstrepit Exquiliis ludicra tepentibus unda;
Et sua sunt hortis murmura, Jane, tuis;
Assurgit Romæ nullus sine Najade collis;
Dolioli solùm saxa Lyæus habet.
Devitat montes alios Judæus apellà;
Sola racemiferi saxa colitque Dei.
Vinoso peragis qui Bacchanalia monte;
Tu mihi Paganus; non Solymæus eris.

Ad D. FRANCISCUM *Christi Domini vulneribus insignitum.*

EPIGRAMMA LXX.

APpenninicolæ magni plantasque, manusque
Numinis impresso vulnere signat amor.
Spemque, metumque inter pendent mortalia corda;
Pignora tu manibus certa salutis habes.

Co-

Columbæ in obſidione Hieroſolymitanâ Saracenorum litteras alis inſutas in Urbem deferunt.

EPIGRAMMA LXXI.

DUm fuſos latè ad Solymas via nulla per hoſtes;
  Curſoris munus miſſa Columba ſubit.
Scriptas illa notas defert per inania, pennis
  Inſideat quantum neſcia Martis onus.
Ergo parum eſt, Aquilas torvo ſervire Gradivo?
  Pars belli eſt, pudeat; Nuncia pacis Avis.

Ad DECIANUM *munera captantem.*

EPIGRAMMA LXXII.

SCitaris, tibi quid mittam, cum læta recurret,
  Quæ mihi natalis fulſit, amica dies.
Natali, DECIANE, meo tibi munera mittam,
  Ad me miſiſti quæ, DECIANE, tuo.

De

De Aurâ, & Aulâ.

EPIGRAMMA LXXIII.

NAvita non Auræ fidat; non Aulicus Aulæ:
Vultus Aura suos mutat; & Aula suos.

Venatorio Cani Epitaphium.

EPIGRAMMA LXXIV.

HIc nemorum formido jacet: pavitare jacentem,
Et procul à tumulo vidimus ire feras.
Si miser hoc socio sylvas peragrasset Adonis,
Non puerum Ætolus dilacerasset aper.
Hic morsu, Actæon, non te læsisset acerbo;
Spretaque præ Domino, torva Diana, fores.
Nunc demum viridi tumulatus cespite, luget
Non vitâ; Domino sed procul esse suo.

ALIUD

EPIGRAMMA LXXV.

SIrius exul erat Cœlo; quòd in otia segnis
Sidereis nimium parceret ille feris.
Et malè quòd Stygios defendit ab Hercule postes;
Janitor ex Orco Cerberus exul erat.

A Jove pulsus abit Canis alter; & alter Averno
A nigro umbrarum Principe pulsus abit.
Custodes alios quærunt dum Numina; junctis
Certatim votis hunc rapuere Canem.
Juppiter illum astris; Pluton sed destinat umbris;
Et torquet geminos rixa superba Deos.
Ipse astris mallet recipi, & servire Tonanti;
Ante nigras Erebi quàm vigilare fores.
Tartareo sed cæca favet fortuna Tyranno;
Et prædam Pluton de Jove victor habet.
Sorte canis miserâ doluit; Cœloque negato,
Occidit, heu! gemini Numinis ante pedes.

Ad effigiem Infantis JESU *in Deiparæ sinu ludentis.*

EPIGRAMMA LXXVI.

BLandæ suaviolum, PUER, Parentis,
Qui ludis niveis reclivis ulnis;
Et centum roseo rapis labello
Matris oscula, provocasque centum;
Ore nectareo, venustuloque
Dulces, obsecro, quas refundis auras?
Succos galbaneos, amaracosque,
Spicæque Assiriæ ferunt odores?
An guttas, memorant quibus Sabæos
Fletu divite lachrymare truncos?
An Costum, casiamque, cinnamumque,
Indi cespitis exprimuntque rores?
An mites Zephiros, comatularum

Quæ suspiria ventilant rosarum?
O matrem mihi ter, quater beatam,
Quid mellita flagrent labella, discit
Quæ per oscula, judicatque mille!

JACOBUS DUX EBORACENSIS, *postea Britanniæ Rex, incensâ Navi, ex quâ contra Ollandos pugnabat, in aliam prosilit Victor Certaminis.*

EPIGRAMMA LXXVII.

ÆNeæ haud impar fatis Dux Anglicus: ille
Si Patriæ; hic laceræ sospes ab igne ratis:
Anglica te Superi servant ad Regna; parabat
Italiam Phrygio si Cytheræa Duci.
Dissimile hoc unum; navis tu victor in igne;
Ille fugit Patriæ victus ab igne suæ.
Debita sed merces: Phrygium nam Regna manebant
Non sua Ductorem; te tua Regna manent.

De Feris Zodiaci.

EPIGRAMMA LXXVIII.

ÆThera terrificant Colubri quid Sibila? Taur
Cornua? Quid Cancer, Scorpius, Ursa, Leo?
Splendida figmento non Græcia lusit inani;
Cum Cælum Lybiam fecit, & astra feras:

Sci-

Scilicet immemores timeant ut Tartara gentes,
Vel Cœlum monstris admonet omne suis.

ALIUD

EPIGRAMMA LXXIX.

GRæcia tot monstris deformia sidera fecit;
Deformes fecit sed magis illa Deos.

MAXIMILIANUS BAVARIÆ DUX, *Nuptiis cum Austriacâ Sponsâ vix celebratis, ad expugnandam Budam cum exercitu advolat.*

EPIGRAMMA LXXX.

MIraris, thalamo Sponsum pugnare relicto?
Est, merito liceat quod stupuisse magis.
Prole novâ mediis nam cernitur auctus in armis,
Conjuge vix visâ qui modo Sponsus erat:
Procubuit validi quæ robore victa lacerti,
Clara DUCIS soboles BUDA superba fuit.

Ad Ulissem, cujus Socii à Circe mutantur in Sues.

EPIGRAMMA LXXXI.

ERgo ne formidanda tibi post Hectora Circe est?
Illa tuum tardat, Dux Ithacensis iter?
Fœmina Dulichias clades ulciscitur: hastam
Virga levis superat, Penthesilea, tuam:
Forte animos Danaum dum viderat esse ferarum,
Corpora de sævis addidit illa feris.
O felix, si vos posset sic Troja videre;
Sed non victores nosceret illa suos.
Hæc Trojæ vindicta fuit: si perdidit illam
Grajus Equus; Grajos nunc domuere Sues.

ALIUD

EPIGRAMMA LXXXII.

CUm Socii formas mutarint; poscitis, ipsum
Cur non induerit forma ferina Ducem?
In Vulpem verti potuit fortasse; sed ille
Vulpes jam longo tempore Ductor erat.

Ad Militem Meticulosum.

EPIGRAMMA LXXXIII.

STrenua qui sociis vertisti terga relictis,
Cum repetes patrios sospes ab hoste lares;
Non puto tu figes victricia postibus arma;
Nempe relicta solo turpiter arma jacent:
Calceolis tibi parta salus: hos figere posses;
Consumptos longâ sed reor esse fugâ.

Jephte post devictos Ammonitas, mactatâ Filiâ, Votum, quod nuncupaverat, solvit.

EPIGRAMMA LXXXIV.

CLarum pugna Ducem; miserũ Victoria Patrem
Te facit; es felix ense, miserque tuo.
Sanguine ab hostili gladium ne conde madentem;
Æstuat hoc ferrum nobiliore siti:
Innumeros bello postquam deviceris hostes,
Hostia, nata tibi nam ferienda venit.
Sed tu magnanimæ jugulum qui Virginis hauris;
Nec ponis tenero in corpore duritiem,
Sæve chalybs nimium; si tanto robore polles,
Mors, reor, haud aliâ falce ferire velit;
Cum Natâ Patrem exanimas, solvisque Tonanti
Pollicitis plusquam voverat ille suis.

De Vinculis DIVI PETRI.

EPIGRAMMA LXXXV.

CLavigeri è manibus pondus servile metalli
Decidit; atque solo vincula strata jacent:
Solvere cui lata est aliorum vincla potestas,
Nexibus haud stringi debuit illa manus.

ALIUD

EPIGRAMMA LXXXVI.

SUbdit adoratis collum pia turba catenis,
Festa serenato cùm redit axe dies:
Non jaculis fœtæ Turres; non valla; tuentur
Hæc libertatem Vincula, ROMA, tuam.

DOMITIANUS IMPERATOR *Populo Romano, refertis auro arundinibus, cædi jusso, eidem, è dissectis baculis erumpente auro, tradit Congiarium.*

EPIGRAMMA LXXXVII.

ARida prægnanti jam fit pretiosa metallo,
Quæ vilis culmo Canna virente fuit:

Non hanc pigra palus genuit; dum crescit in auro,
Hanc reor Hesperidum progenuisse nemus:
Elysio an fulvos Æneas littore Ramos
Transtulit ad Latias, germina clara, plagas?
Terrorem simulat Cæsar, dum prodigit aurum;
E dono discit fallere namque suo:
Hoc distant: ficto Cæsar nam vulnere prodest;
Aurum, dum simulat velle juvare, nocet.

ALIUD
EPIGRAMMA LXXXVIII.

AUrum nodoso bene claudis verbere; multùm
Illa lues hominum tundere corda solet.
Semper corda hominū;sed nunc quoq;corpora tundit,
Et premit insano terga Latina pede:
Non homines; ipsum baculo, sed dignius aurum,
Hoc homines solùm nam stimulante nocent.
Sed tu, Roma, time baculos, & dona ferentes;
Non temere nugas Domitianus agit:
Nam qui Verberibus cædit tua terga jocosis,
Aureus est, fateor, Roma; sed est baculus.

Ad Taliarchum, cum Cœnam solo luxu adornaret.
EPIGRAMMA LXXXIX.

SÆpe recusantem, demum cænare paratum
Lautitiis oneras me, Taliarche, meris.

Perstringunt patefacta oculos armaria, quæque
 Per certos crescit splendida gaza gradus.
Cælato nitet argento pellucida pelvis,
 Ansatus gemmis asper aqualis adest.
Archaïco hinc, illinc ludunt anaglypta salino;
 Et patinas auro bractea dives obit:
Sunt quæ perpetuus commendet pocula lævor;
 Et sunt quæ multus Mentor ad astra ferat.
Cuncta nitent; unctæ sed nec nitet aura culinæ;
 Tune putas oculos esuriisse meos?
Ut videam me nempe vocas? depromere cœnam
 Quælibet hanc nobis Aurificina potest.

NERO *quærit, nec invenit Interfectorem.*

EPIGRAMMA XC.

FUnera mendicus poscit chlamydatus; Amici,
 Dilacerate, precor, corda NERONIS, ait.
Non aurum petimus, sed clades: muneris hujus,
 Si memini, vobis non ego avarus eram:
Reddite vos saltem de tot mihi cladibus unam;
 Vestra mihi, Comites, ultio munus erit.
Ut cædar, posco mendicus; & impero Cæsar;
 Esse reor titulo dignus utroque mori.
Funera poscebat, poscenti funera desunt;
 Sed non posse mori funeris instar erat.
Quæris cur præter morem mors lenta moretur?
 Absumpsit falcem cladibus illa tuis.
Falce novâ nec te peteret; disrumpere falcem
 Pectore tam duro nam timet illa novam.

O

O Tempora: O Mores.

EPIGRAMMA XCI.

NUnc, ò tempora! nunc, boni ſodales,
O Mores! iterate ter, quaterque.
Natta Cauſidicus palam vocatur,
Qui cauſas adit, actitatque nullas:
Audit Cinnara non malus Poëta,
Qui verſus neque ſomniavit unquam:
Nec pudet Medicum rogare Tullum,
Ægros ad Styga qui relegat Omnes.
Nunc, ò tempora! nunc boni Sodales,
O Mores! iterate ter, quaterque.

HEROSTRATUS *Dianę Epheſinæ Templum incendit.*

EPIGRAMMA XCII.

GRæcia mentiris; non has HEROSTRATUS Aras,
  Illius at ſimulans ora cremavit Amor.
Lugebat, Triviam ſua ſpernere tela, Cupido;
  Concinnatque novos, quâ valet arte, dolos.
Occultuſque Viri ſpecie, ſua Templa tenentem
  Vibrato torvam fulminat igne Deam:
Virgo dum flammas declinat territa; Templum,
  Heu nunquam inſontes corripuere faces.

Aliud

Aliud ad HEROSTRATUM.

EPIGRAMMA XCIII.

QUid nomen Templo petis immortale perusto?
Quod cineri scribis, tune perenne putas?

Ad LINUM *herbæ Nicosianæ, vulgò* Tabacco, *liberalius indulgentem*.

EPIGRAMMA XCIII.

AMericò nares oneras, LINE, pulvere semper;
Promit odoratas arcula semper opes;
Seu matutinis madeat saturata Ligustris;
Ritè vaporatam seu bibat illa cedrum:
Te juvat Hispano pulvisculus ambare dives;
Te juvat in secto cespite muschus Arabs.
Non miror, Brasilâ nasum dum fronde saginas,
Quod satur immensùm creverit ille tibi;
Sed mirum est; cerebrum attenues cum pulvere tanto,
Te tamen emunctæ naris habere nihil.

ALE-

ALEXANDER MACEDO *ad Achillis;* JULIUS CÆSAR *ad Alexandri tumulum lachrymantur.*

AD ALEXANDRUM.

EPIGRAMMA XCIV.

ÆAciden gemis extinctum, fortissime Ductor;
An potius, vivat quòd nimis ille, gemis?
Numinis affectas si nomina, comprime luctus;
Namque hic mortalem te probat esse liquor.
Tu nihil Æacide dispar; cunabula quæris?
Ille est progenies Tethyos; ipse Jovis:
Prælia si numeras; ille ebrius Hectore victo;
Tu debellato clarius orbe tumes.
Gloria Pelide magni sed maxima, fletu
Illustres Cineres quòd maduere tuo:
Hos etiam gemitus olim, volventibus annis,
Alter ALEXANDER qui tibi reddat, erit.

Cajus Caligula ex Jovis statuâ caput amputari jubet, & sui effigiem substitui.

EPIGRAMMA XCV.

ILluvie scelerum fœdus Pater ille Deorum
Rite jacet secto vertice truncus iners:
Lau-

Laudaris, Cæsar; Superûm quòd crimina plectens,
Romanum profers latius Imperium.
Sed nugas agitas, & rursus inania captas,
Assuitur trunco dum tua forma Jovi.
Substituisse caput Statuæ ne crede Tonantis:
Non habet illa caput, dum gerit illa tuum.

ALIUD

EPIGRAMMA XCVI.

TArpejum scissâ temeratum fronte Tonantem
Viderat ætherea verus ab arce Tonans;
Viderat, & probri authorem fumante sagittâ
Ut peteret, Cœlo murmura rauca ciet.
Cæsare sed viso, quid fulmina perdimus? inquit;
Nam non iste caput, quo feriatur, habet.

Ad Litteratorem illitteratum.

EPIGRAMMA XCVII.

LIbrorum titulos, Authorum nomina calles
Omnia, ceu digitos unguiculosque tuos.
Tu Nomenclator, condus, promusque fidelis
Quas condant tabulas scrinia docta doces:
Quæ summis habitent loculis cognoscis, & imis;
Tu nova, tu Veterum nomine scripta vocas.
Mirum est, quem longus Titulorum clarat Elenchus,
Palladis extremâ in plebe tenere locum.

XER-

XERSES *in Athon Montem mare immittit.*

EPIGRAMMA XCVIII.

ÆTnam Tartareis irrupit Pluto quadrigis;
Ut nigro sociam quæreret inde thoro:
Audiit egregium Neptunus, & invidet ausum;
Frater de fratris prosperitate dolet:
Inde ubi barbarico XERSEM properare paratu
Sensit, ut invicti cerneret ora Ducis,
Ambitione pari fraterna exempla sequutus,
Threicii ducit per juga Montis aquas;
Mox ait: Ætna olim sibi plauserit Hospite Dite;
Hospite Neptuno nunc sibi plaudat Athos.

AD CAROLUM V. CÆSAREM, *cum in Cœnobio Sancti Justi ex herbis floribusque Solare Horologium concinnaret.*

EPIGRAMMA XCIX.

ARea quid celeres tibi myrtea digerit horas,
Ludit & in parvo cespite Solis iter?
Parce dies numerare; suos confundere cursus
Discent incerti, te numerante, dies.
Te Cultore, pedem sistet levis hora fugacem;
Et poscet longas per tua septa moras.

Fal-

Fallor: non lentos frondentia tecta tenebunt;
Peccabunt nimiâ sed brevitate dies.
Ire sub Augustum nam quælibet hora Colonum
Certatim, cursu præcipitante, petet;
Pellentur celeres horis properantibus horæ:
Sæcula in Areolas ambitiosa ruent.
Rixoso, decus Austriadum, jam parce labori:
Quid struis in rapidum buxea claustra diem?
Impigra composito labentia tempora motu
Distinguant alii; perdomuisse tuuum est.

ALIUD
EPIGRAMMA C.

HOras dum Myrtus discriminat æmula Solis,
Obsequitur dociles & tibi tonsa comas;
Jam mihi nec nemoris, dicit, Regina superbi,
Peliaci æquetur Pinus alumna jugi;
Ausa nec in medias Cedrus se tollere nubes;
Quæ numerat ramis sæcula plura suis.
Arbos prima forem; nisi, quæ te fronde coronat,
Præriperet laurus præmia tanta mihi.

B. STANISLAUS KOSTKA, *amore Divino exæstuans, aquis imbuta linea sudaria pectori admovet.*

EPIGRAMMA CI.

DUm magis PUER æstuat, magisque;
Crebrescunt magis, & magis favillæ

Quæ

Quæ licentius ustulant medullas;
Corda sævius exedunt; & omnes
Compellunt Juvenem perire in horas.
Non flecti precibusque, lachrymisque
Possunt cordivoræ faces: Amoris
Novæ quin feriunt magis sagittæ;
Et magis resonans minatur arcus.
Fontis largifluos amica rores
Bis ter carbasus hausit; æstuosi
Sed sudaria delibuta flammas
Augent pectoris, & refusus ipse
Latex algidulus flagrare discit:
Quid urges, PUER, irritum laborem?
Recede hinc, PUER, ocyus, recede:
Ingratos fuge quæritare fontes.
Latens, non ne vides, Amor dolosis
Ut stridentia tela tingit undis,
Et fontes acuit madore nervos?
Recede hinc, PUER, ocyus, recede:
Ingratos fuge quæritare fontes.

De Crocodili Spolio in Musæo Collegii Romani.

EPIGRAMMA CII.

QUàm bene funiculis nexus de fornice pendet
 Hydrus Niliacæ perfidus hospes aquæ.
Sæpius humano pastus nam sanguine, turpem
 Rite luit laqueo pendulus ingluviem.
Et veros meritò risus ciet ille; tot olim
 Cujus cæde virûm lachryma ficta fuit.

Ad

Ad P. Philippum Bonanni Soc. Jesu, *cum de marinis Cochleis libros eruditissimos ederet.*

Epigramma CIII.

Mille coloratis ludit miracula testis
  Quæ rerum Genitrix ingeniosa, doces.
Pictas nempe domos, & tecta sequacia monstras;
  Qualia nec Cyrus, nec Cleopatra colit.
Exuvias vacuas sed dum mirabere, Lector,
  Baccas, concharum germina, forte petes:
Has etiam tradent tibi docta volumina; quales
  Tradere nulla tibi concha Erythræa potest.

Lucanus, solutis venis, jussu Neronis occiditur.

Epigramma CIV.

Stirpis Julææ laudes, & reddita Musis
  Otia cum caneret Tityrus inter oves;
Principis alloquio Vates dignatus amico,
  Cæsareo meruit discubuisse thoro.
Fascibus adjectos celeri dum Marte Britannos.
  Arsacidasque feros Daunia plectra canunt,
Te Mecænatis tollebat rhæda supini,
  Augustasque capis tu quoque, Flacce, dapes.

Clau:

Claudius ut regnet, laudas dum Civica bella,
  Et, Lucane, tibi perdita jura placent;
Tu quoque, diffectis venis, optabile funus,
  Præmia magnanimo digna Nerone, refers.
Matre magis te Cæfar amat, Sponsâque: perire
  Namque tuo optaffent funere Sponfa, Parens.

De Stellâ Reges Orientis ad CHRISTI DOMINI *cunas ducente.*

EPIGRAMMA CV.

PRævia ftella micans Reges deducit Eoos
  Ad Puerum, Solymæ qui male notus erat.
Sidus ubi radiat, mirum! nox victa receffit;
  Perfida gens noctem, fol ubi fulget, habet.

De Marmoreâ Tabulâ Anaglyptici Operis in Arâ BEATI ALOYSII GONZAGÆ: *in quâ Puer Cœleftis coronam auream* B. ALOYSIO *defert: ipfe verò complicatis ad pectus manibus, demiffâ fronte, terram fpectat.*

EPIGRAMMA CVI.

STirpis adoratæ fpecimen, calcata jacebat
  GONZAGÆ ad teneros ftrata Corona pedes.
Aliger hanc vidit, furto rapuitque jocofo,
  Cum Puero affuetus ludere nempe pari.

Sideræ recoquitque iterum Fornacis in igne,
Atque opibus ditat fulgida ferta novis.
Mox Pueri raptum plantis Infigne fuperbum
Feftinat meritis impofuiffe comis.
Ille fed ad pectus dum brachia nexa decenter
Flectit, & adverfo lumina blanda folo;
Attonitum prono mirari vertice credas,
Sublata è pedibus fulgida ferta fuis.
Tolle, Puer, Cœlo tua lumina: fidera reddunt
En tibi; defpectâ quod male quæris humo.

ALIUD

EPIGRAMMA CVII.

LUmina ALOYSIUS terræ demittit, ab axe
Cui defert nitidus fplendida ferta Puer.
Quàm pudibunda fuit difcas frons illa; pudoris
Cernere quæ refugit præmia & ipfa fui.

DE EADEM EFFIGIE, *quæ primum coloribus exprimenda erat in telâ: fed poftea, mutato confilio, ex marmore anaglyptico facta eft.*

AD B. ALOYSIUM.

EPIGRAMMA CVIII.

HInc Pictor telis; hinc duro marmore Sculptor
Certabant vultus affimilare tuos.

Præ-

Præripuit Sculptura locum; quæstusque ciebat
  Posthabita, afflicto pectore, mæsta Soror.
Parce supervacuis, solers Pictura, querelis;
  Illa notet mendax non licet ora color:
Depinxit propriis fatis ante coloribus illa
  Candida Virgineo mista Pudore Fides.

In Alchimicos.

EPIGRAMMA CIX.

SUnt, quibus in tenues abeunt patrimonia fumos,
  Surgat ut arcanis aurea massa focis:
Auri sed tanti tristes manet una Nepotes
  Sacra quidem; miseris namque verenda, fames.

Ad Crumenisecam.

EPIGRAMMA CX.

ORator sacro dum pegmate devovet aurum;
  Multa perit digitis secta crumena tuis.
Auxiliator ades dicenti strenuus: aurum
  Orator linguâ fulminat; ipse manu.

Sideræ recoquitque iterum Fornacis in igne,
Atque opibus ditat fulgida ferta novis.
Mox Pueri raptum plantis Infigne fuperbum
Feftinat meritis impofuiffe comis.
Ille fed ad pectus dum brachia nexa decenter
Flectit, & adverfo lumina blanda folo;
Attonitum prono mirari vertice credas,
Sublata è pedibus fulgida ferta fuis.
Tolle, Puer, Cœlo tua lumina: fidera reddunt
En tibi; defpectâ quod male quæris humo.

ALIUD

EPIGRAMMA CVII.

LUmina ALOYSIUS terræ demittit, ab axe
Cui defert nitidus fplendida ferta Puer.
Quàm pudibunda fuit difcas frons illa; pudoris
Cernere quæ refugit præmia & ipfa fui.

DE EADEM EFFIGIE, *quæ primum coloribus exprimenda erat in telâ: fed poftea, mutato confilio, ex marmore anaglyptico facta eft.*

AD B. ALOYSIUM.

EPIGRAMMA CVIII.

HInc Pictor telis; hinc duro marmore Sculptor
Certabant vultus affimilare tuos.

Præ-

Præripuit Sculptura locum; quæstusque ciebat
  Posthabita, afflicto pectore, mæsta Soror.
Parce supervacuis, solers Pictura, querelis;
  Illa notet mendax non licet ora color:
Depinxit propriis satis ante coloribus illa
  Candida Virgineo mista Pudore Fides.

In Alchimicos.

EPIGRAMMA CIX.

SUnt, quibus in tenues abeunt patrimonia fumos,
  Surgat ut arcanis aurea massa focis:
Auri sed tanti tristes manet una Nepotes
  Sacra quidem; miseris namque verenda, fames.

Ad Crumenisecam.

EPIGRAMMA CX.

ORator sacro dum pegmate devovet aurum;
  Multa perit digitis secta crumena tuis.
Auxiliator ades dicenti strenuus: aurum
  Orator linguâ fulminat; ipse manu.

 Ad

Ad PONTILIANUM *librorum Compactorem.*

EPIGRAMMA CXI.

ANte meos nectas quàm tu de more Libellos,
Paucula te monitum, PONTILIANE, velim.
Ter decies primùm contundat Malleus illos;
Atque ferant nugæ verbera mille meæ.
Pulsavit validus quas Malleus, assue chartas;
Et nova commeritis vulnera figat acus.
Imbuat adstrictas generosum gluten: aceto
Fac vigeant saltem Carmina nostra tuo.
Belgicus apposito Vitulus tum vestiat auro,
Quos in Magnatum fas properare manus:
Sed qui, nam multi expectant, tradentur Amicis,
Tegmina sint illis ex ove sarta satis.
Cum nitidè ornaris reliquos; ex omnibus unum
Asseribus jubeo contege fagineis.
Perque sinus varios, nimirum more vetusto,
Bractea de ferro dura frequenter eat.
Zoïlus hoc nostri monumentum sumat amoris;
Et dona accipiat dentibus apta suis.

Ad

Ad Libellos Epigrammatum.

EPIGRAMMA CXII.

VOtum ſolvite Virginis Puello;
Et, quò carceribus dicata primis
Juſſi vos properare, jam peracto
Illuc carmina convolate curſu.
Vos longus labor, & lucerna pernox;
Vos ſevera domi litura preſſit;
Externo medicata purpuriſſo
Non ut inficeret procax venuſtas;
Cultus ſimplicior ſed ut poliret,
Fuci neſcius exteriq́ue candor;
Vos admittere lacteis lacertis
Ut non candidus abneget Puellus.
Quòd ſi floridulo benignos ore,
Quòd ſi lucidulis favens ocellis,
Vobis annuerit; piumq́ue riſum,
Noſtro præmiolum ferat labori;
Tunc ego; Superi, valete, dicam;
Veſtras, Cœlicolæ, tenete ſedes;
Nam me floridulo benignus ore,
Nam me lucidulis favens ocellis,
Beat ſidereus ſatis Puellus.
Ergo compoſito modeſta vultu,
Sacris Carmina provoluta cunis,
Votum ſolvite Virginis Puello.

MISCELLANEORUM LIBER.

Apologus. RAPA, & CEPA.



RIphæa lento vinxerat segnes gelu
Jam bruma campos; & fluentes ilicum
Mordax capillos aura corrugaverat.
Saliente rivo quà strepebat hortulus,
Siliquæ tenellis involuta valvulis,
Livens latebat altius cicercula:
Adversa clausis astra folliculis ferunt
Sapidæque lentes, Indicæque Sesamæ,
Vetitæque Samiâ lege pallentes fabæ;
Et pisa, mensis non molesta Divitum:
Rugosa amicis occulunt glebis caput
Buglossa; foliis palliata turgidis
Capitata condit brassica albentes sinus;
Imoque refugit beta subsidens solo.
Sed nuda mediâ quæ jacebat areâ,
Ventrosa nivei RAPA non patiens Jovis,
Diploide tectam tutius Batavicâ
Sic allocuta dicitur CEPAM. tuæ

Sollicita fortis me fubit pietas, foror:
Oppreffa miferùm deficis, centum gemens
Onufta tunicis; improba, immitis, ferox
Natura quantam quantulæ impofuit ftruem?
Suffarcinata mole veftiariâ,
Et corticofis implicata culcitis,
Arcto meantem calle vix animam trahis.
Sed, quæ maligno fidere infontem gravat,
Aliquando moles ne fatifcentem opprimat;
Agedum: lacernis de tot injectis tibi,
Unam, alterâmve detrahe; inque humeros refer
Secura noftros: farcinæ partem feram;
Tantumque tecum partiar libens onus.
Verfuta ftolidis CEPA fubrifit dolis:
Malafque fraudes fenfit; atque, audi piam,
Dixit, Sodalem: candidam, fororiam
Amplector, ofculorque narrantis fidem:
Sed quod lacernas attinet plicatiles,
Quas pofcis, urit fæva dum plantas hyems;
Sufpecta nobis paululum eft oratio.
Si te falutis cura moviffet meæ,
Illo involucra poftulaffes tempore,
Quo me, protervum fidus, æftivo Canis
Torrebat igne: tunc cucullos irritos,
Amicula, fagula, cingula, Endromides tibi
Totas dediffem fponte: fed noftri immemor
Tunc æftuofum nuda fallebas diem:
Amica nunc te ftudia; nunc pietas recens
Tenerum laceffit corculum: haud facile eft tibi
Decipere cepam: callidas cepas chlamys
Duplex fatetur ipfa; te nullæ fatis
Fatuam falinæ condiant; in pofterum

Lar.

Larvata mitte monita; rancidulas preces:
Tibique nostra si placent indusia;
Mihi ad Kalendas illa Sextiles pete.

Ad COSMUM III. *Magnum Ethruriæ Ducem, cum, Senis Terremotu laborantibus, Collegii Ptolomæi Juvenes Nobiles Florentiam accersitos, summo Munificentiæ exemplo, perhonorificè exciperet.*

REgnator, felix cui paret Ethruria, Sena
  Subsilit incerto dum tremefacta solo;
Palladios Juvenes, Italæ floremque Juventæ
  Ocyus ad ripas evocat, Arne, tuas.
Spondet ibi firmas Constantia Principis Ædes;
  Quam trahit à Domino terra vel ipsa suo.
Ergo, dum lato crebrescunt murmura plausu;
  Principis atque omnes splendida facta canunt;
Laurigeram frontem Laurentius extulit urna;
  Gloria Mediceæ stirpis, & orbis amor;
Ferdinandiaden dictisque affatur amicis:
  Floridus auritis substitit Arnus aquis.
Gratulor à serâ natum mihi stirpe Nepotem;
  Fama, fatebor enim, quo mea victa cadet.
Omnibus ingenuas attollere viribus artes,
  Primus amor nobis; gloria prima fuit.
Toto quæsitos huc nos deduximus orbe,
  Quos coluit docto casta Minerva sinu.

Si

Siqua superstes erat Grajæ facundia linguæ;
  Et si quis Latio floruit ore potens,
Noster erat: per me Musis operata Juventus
  Delituit segni non inhonora situ:
Per me non penitus doctæ cecidistis Athenæ;
  Nec virtus proprias sorduit inter opes.
Tu modo, qui longè superans exempla Tuorum,
  Magnanimo claros pectore vincis avos;
Macte animis: totos virtuti impende labores:
  Pulchrius haud aliud, Gloria signat iter.
Romanum fuerit gentes domuisse superbas:
  Virtuti gremium pandere, Mediceum est.

De Scenico Prestigiatore ligneis simulacris Histrioniam exercente.

LAto Romula non Juventa Circo
Exercet jugulis, nefas, suorum
Athletas, pugilesque; vultuoso
Per subsellia nec favet lanistæ.
Non certamina Retiariorum
Laudat; deliciis alit cruentis
Sonti Flavia quos arena ludo.
Subit gratior, innocens voluptas,
Breves cernere, Faginosque Pupos;
Pictis plaudere, pumilisque Mimis,
Mirâ quos regit arte Machinator,
Post proscenia qui latet; levemque
Ad nutum movet, & movet renutum.
Parvi per tabulata ludiones
Decurrunt; celeres agunt choræas;

Et

Et se tibiolis, minutulisque,
Si res postulet, implicant lacertis;
Nam certamina buxeos Achilles,
Magnæ non semel efferantque rixæ:
Tunc se verberibus petunt vicissim,
Adnisi pedibusque, palmulisque;
Victoresque cadunt; caduntque victi;
Surgit aspera tunc utrinque pugna:
Et, dum funere non cadant inulto,
Non pectuscula consecrare pulchræ
Cessant magnanimi, timentque morti.
Æstu lignea dum tumultuoso
Feruntur simulacra; dum lacernas
Proscindunt, togulasque, penulasque;
Nec parcit laceris furor capillis;
Festivos referunt Theatra plausus;
Effusis resonat Forum cachinnis.
Hæc spectacula, scenicique lusus;
Illos æquus ab intimo recessu
Si quis Arbiter æstimare tendat;
Possunt aptius erudire Romam,
Rauci jurgia docta quam Licæi;
Aut quæ Pythagoræ madent salivâ,
Multo aut Crantore tussiunt cathedræ.
Namque, ut funiculis latens Choragus
Davos, Hergasilos regit pusillos;
Nos, humanaque cuncta sic Tonantis
Docemur tacito subesse nutu.
Ille fila manu tenet, movetque:
Nos Idola pusilla, dum remotas
Pugnaci petimus fragore terras,
Mille & Cærula frangimus carinis,

Og-

Occulti sequimur manus Magistri;
Orbis qui meritas regens habenas,
Versat nos tenui; movetque filo.
Suggestu documenta si jocoso
Condunt talia, serioque ludunt
Curti, gaudia plebis, Histriones;
Illis Cecropii peritiores
Silenos cave duxeris Tyranni. *

Apologus. DRACO, & LIMA.

CUm triduanè guttur enectum fame
Traheret egenus consilj, ac tremens DRACO;
Per confragrosos fortè saltus asperam,
Crebroque LIMAM dente distinctam videt.
Longas Kalendas feriatis dentibus
Chalybem rigentem subigit; hedinum jecur
Credas putasse; cereumve turturem.
Ut dura labiis presserat primoribus
Fercula; quid istuc est rei? ò sævam dapem!
O dentifragium, clamat, insuavissimum!
Dum queritur; atrum & sibilis complet nemus;
Excussa ab ore lima sic orsa est loqui.
Si me jacentem, neminique noxiam
Cubare, quo sum rapta, sivisses loco,
Non tibi fuissem pœnitendum obsonium,
Atque fame gravius. nosse tu poteras probe,
Metalla dentibus ipsa comminui meis.
Quid me lacessis helluo nequissime?

Escam

* *Sileni Alcibiadis, qui extra rudes, intus mira condebant: Vide Adagia.*

Escam superbis faucibus ferrum putas?
Damas inertes sequere. Commotus Draco
Animos feroces, inquit, incassum geris:
Per alta nemora nobiles quæram feras;
Lacerata tollet tigris illustrem famem:
Ignava sed cum roserit primum tuos
Rubigo dentes; quod reor vilissimum;
Miseram manebit, auguror, ferus dolor;
Dentesque sæpius irrita optabis meos.

De Geminâ Campanâ; Curiæ Romanæ ad Montem Citatorium, & Collegii Romani.

TOlluntur geminæ spatio non dispare Turres,
  Tinnula quæ duris vectibus æra tenent.
Hinc, illinc multis Ephiræ nam fœta metallis,
  Immani Chalybum pondere nola riget.
Celsum Romanâ caput hæc de Gymnade tollit;
  Romanæ Themidis despicit illa Forum.
Utraque suppositam molem, quæ dividit horas,
  Atque recurrenti cuspide signat, habet.
Hinc,atque hinc, magnæ soboles velut Ænea Matris,
  Duplex succrescit nolula, mole minor:
Corpore nam vasto micat altior illa; sub alis
  Ceu sobolem implumem Regia condit avis.
Gregoriana tumet multis antiquior annis;
  Sed præstat gravior mole superba Soror.
Quæ sociam vincat vocis modulamine, certum
  Judicium dispar non finit esse sonus.

Pu-

Publica Trojugenæ curent ut commoda, fixis
 Hæc Pueros horis convocat; illa Viros.
Æris tinnitum quadrans horarius implet;
 Bis ferit in ſolidum malleus æra diem.
Lojolæa præit; ſed vix pulſator habenas
 Colligit; argutas cum ſubit illa vices.
Altera dum reſonat, ſilet altera; nempe viciſſim
 Officiis certant æra vel ipſa ſuis.
Perpetuo hæc liquidum ſed verberat aëra tractu;
 Et ſequitur facilem pulſa, repulſa manum;
Illa ſed abruptis ſcindit dum pulſibus auras,
 Reſpirat crebris ſæpius icta moris:
Craſſities obſtet ſolidi ſeu multa metalli;
 Seu Turris pulſu liberiore gemat.
Utraque dat ſtudiis ſua per diſpendia vitam,
 Roma quibus terris tradere jura poteſt.
Illam ſacra Themis libratis lancibus ornat;
 Hanc decorant artes, docta Minerva, tuæ.
Hanc ferulæ ſequitur ſonitus; ſed acerbius illic
 Vindicis Aſtreæ virga ſevera ſonat.

De Vetulâ à Zeuxide pictâ.

ADes, jocoſæ conſcius lyræ, pennis
Amice Scazon purior Columbinis;
Venuſtularum Conſitor voluptatum;
Frontiſque lenis temperator auſteræ.
Non tu inficetos ſæculi colis mores,
Offuciarum delibute pigmentis;
Viciniam nec uſque poſcis ornatum,

In-

Indum monile, teniasque Belgarum,
Tagoque multo cycladem umbilicatam.
Non sumptuosâ incenditur tibi pectus
Maris rapinâ; nec plicas redundantes
Gemmante fibula colligit nitens morsu.
Sed laude privâ clarus, & satis dives
Domi scatente copiâ, nites cultu
Nusquam coëmpto. te lubentiæ dulces,
Vernæque Charites; te chorus Venustatum
Multis refusæ perpluunt favis Hyblæ.
Ergo canoris seu jocos ciens nugis,
Horas inertes fallis otiosorum;
Meridiatus ad sacri caput fontis,
Seu stertis altùm; pone blandulos ludos
Paulisper, incipe hic novum melos: puri
Non semper amnes; non coma viridis semper
Cantanda pyramidalium Cupressorum;
Crispæque pinus, & nemus capillatum;
Argenteorum aut hospites fluentorum:
Non decora semper graminumque, florumque;
Dryadumque choreæ, aut musici sonor fontis;
Gemuntque Thressis qui Sororibus trunci;
Auræque saturæ dulcium querelarum.
Ameniore concitatus afflatu
Non indiserto pone nunc anum versu,
Vitam in Tabellâ cui bonus dedit Zeusis;
Mortem à Tabellâ quâ bonus tulit Zeusis.
Inauspicatæ triste frontis ostentum
Non dira Memphis vidit; aut Jubæ tellus,
Lactans arenis Dipsades Libissinis.
Hac fronte Lunam Colchicis trahit rhombis
Locusta Cœlo; Thessalisque, Marsisque
Po-

Potens ſuſurris, noxium venenatis
Maritat herbis murmur, & nigros Manes
Formidoloſis elicit ſepulchretis.
Non croceus illi flavet, aut micans auro;
Nec rore crinis albicat pruinoſo;
Non fuſcus ebenum vincit; aut refert rufus
Roſeta flammis uſtulata nativis;
Sed nec vibratus chalybe; nec fluens ullus;
Nec tenuis errat fronte; nec ſaginatus.
Caput facetum quas gerat comas, quæris?
Quas levigatis cernis eſſe piſtillis;
Quas Populorum ſuccinæ ferunt guttæ;
Gangeticarum filiæve concharum.
Decuſſit omnem ſylvulam capillorum
Inviſa tonſtrix illa, forficem occultum
Agens ſenectus; ſævus ille graſſator
Apeliotes, qui nemuſculum flavum
Ineleganti pectinavit attritu.
Sed, quod tibique, poſteriſque venturis
Excire poſſit quidquid eſt cachinnorum;
Glabella, depilata non ſatis ducit,
Dediſſe crines præliantibus ventis;
Edéntula, ipſas eſt recalva gingivas.
Dentatiorem cuſpidem gerit telum,
Neptune, ſubigis quo ſalum procelloſum;
Et ruſticorum quo labor lacertorum
Iners refoſſis paſtinat ſolum glebis.
Nulli molares; nullus adſtat inciſor;
Nullique genuini; at, ſuperſtitem clades
Quem fecit, unus, omnium vices ſupplet:
Namque ille grandiuſculus, ferox, audax
Ab ore palmos exerit procul ſeptem

Api-

Apicem retortum: sed picem Tarentinam
Fuliginosus æquat; ut putes, fratrum
Lugere casus; atque Syrmate atrato
Celebrare Turbæ justa Contubernali.
Sed criniumque, dentiumque jacturam
Sarcire possunt strenuè catervatim
Rugæ fluentes: sinciputque, collumque,
Humeros, lacertos, & genas cavernosas
Striata sulcis horret: ut magis turpes
Sint aliæ anus; hac avarior nulla est;
Loculos ubique habet: trecenti Equisones,
Totidemque Strigiles inde non tamen vellant
Contaminati furfuris luem tetram,
Strumamque, scabiemque, & Acheronticum cœnum.
Mentum repandum, Martiale, falcatum,
Lituoque flexuosius Quirinali
Imos trementem traheret ad pedes frontem,
Si non labantem tuberosa fulciret
Agnata corbis gutturi; putes ferre
Quam facilè modios quatuor lupinorum;
Oleive totidem continere metretas.
Sed gutturosi congium præit follis
Immane pondus manticæ, quod in tergo est.
Illam æstimare non decempedis ullis
Metator aliquis Machinarius possit:
Nam sternuentis perticæ specus fœdum,
Bifidasque nares, & trabale portentum,
Nec ipse mensor æquorisque, terræque
Decempedator assequatur Architas:
Fruticante setâ seu nemus duplex apros
Alit inquilinos; seu loquaculas ranas
Lacuna biforis narium beat limo

Stagnante semper, glareâque mucosâ.
Ungues honestâ pactione conducti
Apuliæ messoribus decem falces;
Agrove possunt commodare Piceno:
Adunca præfert manibus arma Saturni;
Ipsâ superbit nam vetustior Phlægrâ.
Aures superbæ; repperit Midæ tonsor
Quales, capillum deglabrante volsellâ:
Sed longiores nequis æstimans justo,
Natam Minervâ suspicetur iratâ;
Olli gemellos Noctuis suis Pallas
Oculos habere præbuit; dies, noctes,
Uliginoso sed quòd imbre lippirent,
Concinna non hoc scilicet dedit Pallas.
Decembre multo torridam; & gelu pigro
Vetulam trementem discolor tegit vestis
Gossipina, vario sarcinata centone;
Phrygiana, Bætica, Attalica, Damascena,
Babylonica, Tyria, Maura, Coa, Sarrana:
Ahena novit omnia, & lacus omnes;
Omnis bibacem temperavit Infector.
Assuta pannis fuerit at licet centum,
Totidem patescit ostiis fenestrata:
Spectanda luxu nec vacat peregrino;
Fluidis salivarum undulata Mæandris;
Conchyliata pulte jusculi externi;
Lutique lectis fimbriata pastillis.
Jocose Scazon, quid rei, quid hoc monstri est?
Pannosa, glabra, spongiosa, longevæ
Cornicis annos, alitemque Titanis
Egressa; pumice siccior lacunoso;
Obstipa, agrorum Terminalis ut cippus;

Ri-

Risus cieret illa non tibi solùm,
Natura tribuit cui tenerrimum splenem;
Elegos sed ipsos; nubilus dolor frontem
Quibus arctat, æger & inficit genas luctus,
Vultus juberet explicare contractos.
Quin sævus ille tetricæ parens scenæ,
Grandiloquus ille, qui dolos Novercarum
Novit cruentos, Tantali & genus dirum,
Sontesque Thæbas, Atrei & truces mensas,
Ferox Jambus ille, aniculæ spectrum
Si turpe videat; immemor Micenarum,
Hecubæque tristis, Tereïque, Prognesque;
Gravem cothurni calceum levi socco
Permutet ultrò; Bergomi atque agens scurram,
Aut Morionem saltitans Acerranum,
Valere jubeat Ædipum Sophoclæum.

Apologus: SICILIA, & NEPTUNUS.

CUm fortè curru vectus undarum Pater
Scyllæa rapidis saxa lustraret rotis:
Regina Siculi Virgo dominatrix freti;
Tridentis Hæres; siste præcipites equos,
Clamabat; ægras supplices audi preces,
Miseræque voces ultimas Sicaniæ.
Felix abunde sorte vivebam meâ,
Cum penitus olim stringeret nexam sibi
Tellus agrorum dives, Herolim parens;
Natura celsis quam coronat Alpibus;
Geminique fovea cingit hinc, illinc maris,

Littus beatum, Patre regnatum tuo.
Tu nulla veritus jura, cautes asperas,
Vetitasque trifidâ cuspide ingressus vias,
Regionis almæ fædus antiquum, gravi
Dirimis ruinâ; meque luctantem diu,
Brachiaque ter, quaterque tendentem irrita,
Littoris amici sævus abrumpis sinu:
Invita; Superi, vos ego testes voco,
Et te relictam, Dardani tellus; tuis
Divellor ulnis: præda tunc rapacibus
Relinquor undis: æstuat, mugit ferox
Hinc, inde pontus; siqua terrarum, salo
Subeunte, superant hactenus vestigia,
Scopuli minaces obsident; cautas parum
Ubi Scylla frendens canibus exercet rates.
Te per ego robur fuscinæ tricuspidis
Adjuro supplex; redde complexus mihi
Felicis oræ; necte Rhæginum, Pater,
Latus Peloro: quo jubente dissita
Cessere, coëant vasta nunc iterum juga;
Quę nos removit, illa restituat manus.
Si vota miseræ despicis; saltem vadis
Totam refusis merge; disjunctam juvat
Perire: quamvis, Italis exul plagis,
Jam perii. amaros non tulit quæstus diu
Rector profundi: mitte singultus graves,
Luctusque, Virgo, dixit. Hesperiæ, pudor!
Cum tu potenti mancipata degeres,
Superba, nec te pœnitet, fastidia
Heræ ferebas fastuosæ; sordido
Præstare jussa auctarium calcaneo
Ancilla vilis: Nomen obscurum tibi;

Splen-

Splendorque nullus; nulla majeſtas erat:
Sed te; quod exprobare non ceſſas mihi,
Tridente poſtquam victor aſſerui meo;
Regnare primùm diſcis; Æternum decus,
Illuſtre nomen, principem locum tenes:
Hæc odia tecum; hic ille Neptuni fuit
Violare rerum jura non veritus furor.
Ne querere Italiam commodo amiſſam tuo:
Novumque ferre diſce fortunæ jubar.
Præſtat modeſtis imperare finibus;
Celebritati latioris Imperj
Quam, nobile ſicet, addere corollarium.

De PLINIO in Veſuvio Monte miſere abſorpto.

PArthenope, nitidi ſedes placidiſſima Veris;
  Alma parens glebæ divitis, alma Virûm,
Ne querere, ignivomo nimium vicina Veſevo,
  Quòd multum eliſis æſtuet ille jugis.
Tam prope nam reſonis fremerent niſi Tartara flāmis,
  Hoſpita te Cœlum credere turba queat.
Ecce tuos ſcandit, Floræ ſpectacula, montes
  PLINIUS, in pœnas impiger ipſe ſuas.
Vulcanum ſervare fidem ſtupet ille Lyæo;
  Et prædatrices degenerare faces.
Pampineus pœnâ collis laſcivit in ipſâ:
  Plaudit, Bacche Pater, dum furit, ille tibi,
Occultæ Senior veſtigat ſemina flammæ;
  Et mortem infauſtâ provocat arte ſuam.

Nam dubio, fallente gradu, deceptus hiatu,
Flammarum cæco turbine mersus obit.
I nunc; & totas Veseve, effunde procellas;
Non aliâ tantum clade nocere potes.
Elysiis jamque ille parat succedere Campis,
Misceri & doctis nobilis umbra choris:
Verùm ubi Parthenopes lætos circumspicit agros,
Hesit, & immoto substitit ille gradu:
Mox ait: Elysios nequidquam quærimus hortos;
Elysium præstent hæc mihi rura nemus.
Hæc fatur: tunc monte super levis umbra vagatur;
Errat odoriferis umbra decora plagis.
Hesperios inter fortunatissime montes,
Invidiosa novæ munera sortis habes:
Namque extra Senis incauti complecteris Umbram;
Et reliquum tanti Funeris intus habes.

A Fure præreptum dolet Infanti DEO *paratum munusculum.*

VIrgatâ calathus nitens genistâ,
Quem solers mihi texuit Menalcas,
Pastorum decus, optimus Menalcas,
Servabat pyra, caricasque dulces;
Mensæ quidquid & afferunt secundæ;
Strenam Bethlemio novam PUELLO,
Quem nudum tenues tegunt Aristæ;
Quem matris teneri fovent amores:
Votivam tibi strenulam, PUELLE,
Cui brumâ teretes tremunt lacerti;

Orbis

Orbis pondere nec tremunt lacerti;
Cui dulces lacrymis tepent ocelli;
Binis solibus & nitent ocelli.
Lento ciſtula tortuoſa junco
Condebat ſapidas placentularum
Scriblitas, globulos, leveſque ſpiras;
Et piſtacia ſaccharo Sicano
Penulata; favoſque; pallidæque
Liquatos violæ, roſæque ſuccos,
Quos induſtrius alveis trecentis
Denſat melle Ligur tenaciori:
Non deerant melimela; parricidæ
Nec quas languidus è jugis Idumes
Proſpectat caryotides Viator;
Et paſſi æſtiferum diem racemi;
Et cotonea ſaccharata, thecis
Algens quæ tegit Aſculum rotundis.
Et muſtacea, collibus beatis
Minax dulcia quæ, Veſeve, mittis;
Indo quæ piperata cinnamomo,
Doctas nobilium gulas Quiritum
Tergent, & Latios domant Decembres.
Pomorum genus omne, quæ ſuperbos
Phæäcum, Heſperiæque, Mediæque
Gravant pondere purpurante ramos;
Et, fruſtra Oceano vetante, terras
Quæ pluſquam Herculeus labor Latinas
Orâ vexit ab uſque Luſitanâ.
Condi hæc vimineo reor quaſillo
Dum Manuſcula; proh dolor! miſellus
Inveni omnia plena aranearum.
Sed bellaria quiſquis abſtuliſti,

O ſævam nimis, improbamque dextram!
Diris non ego te petam malignis;
Hanc mandare licebit ultionem
Blando, cui Xenium rapis, PUELLO:
Crudelem nimis, improbamque dextram
Indemnem, puto, non feret PUELLUS.

Apologus. MARMOR, & LAPIDES.

IMmane pondus marmoris vaſti, rudis,
Plauſtrum ferebat gravibus æriſonum rotis,
Strepente latè ſcilicet viciniâ.
Cui ſaxa longo nota contubernio,
Solo relicta quæ jacebant turpiter;
Quò, ſtulte, dicunt, tendis; aut quò, transfuga,
Oblite raperis patrii fidem jugi?
Inominatam, ſæve deſertor, fugam
Quò tandem adornas? Siſte pauliſper gradum.
Hic flore gemmans herbidum ridet ſolum;
Et rore læta germinant novalia:
Hic tortuoſo latice laſcivit procax,
Ripæque trepidus rivus alludit ſuæ.
Hic hoſpitalis eſculus; nutricium
Hic ſidera æſtuoſa defendit nemus,
Imbreſque fædos prohibet hiberni Jovis.
Sed, quò ſiniſtrâ tu recedis alite,
Diverſa fata, flebilem ſortem feres.
Cæco feroces impetu Artificum manus
Subigent protervum; ferreiſque malleis
Tundent ſuperbum; durior durum truci

Do-

Domabit hostis verbere: agnosces statim
Quid æra distent cautibus: minax chalybs
Longâ fruetur clade: jam poscunt tuas
Scalpella venas: vulnerata corruent,
Tegentque membra cæsa frustatim solum.
Tunc vero patriæ rupis hospitium vetus,
Veteremque sortem corde mutato gemes.
Cum plura fari tenderent; marmor gradum
Cohibens parumper, dura me durum, refert,
Metalla vincent; impolita nobilis
At vero postquam membra comminuet labor;
E clade nomen clarius surget mihi;
Rudisque avito Monte quod fueram silex;
Imago dicar: seu Cyclopæo Faber
Referre torvum jusserit telo Jovem;
Seu quem Noverca devovebat impotens,
Cum traheret Erebo victor anguineum Canem.
Cum jurgioso vulgus attonitum Foro
Me fronte celsâ viderit minarier;
Sollicita cum me turba jam Deum colet,
Venerata nostrum supplici Numen prece,
Largas Sabeæ Messis & fundens opes;
Tunc Malleorum proderit multùm mihi
Ictus subisse: tunc dies inglorios
Egisse ferus nempe vos tanget dolor.
Segni negarunt Cœlites socordiæ,
Certam labori quam pararunt, gloriam.

Apologus. BUBULCUS, & JUPPITER.

BOves agebat Pastor armentarius
Ad nota lentos stabula, cum fessum diem
Purpurea vitreo conderet Tethys sinu.
Sed rite dum recenset inductum pecus
Septis avitis; cornibusque singulos
Lustrat; recentem rusticis tectis procul
Abesse vitulum sensit: ergo amens metu
Herbosa relegit pascua, & longos ciet
Per tonsa fletus gramina; huc, illuc gradus
Molitur æger: anxius valles, jugum,
Dumeta, fontes, arbores interrogat:
Nullas abacti pecoris at reddunt notas
Dumeta, fontes, arbores, valles, Jugum.
Ad astra versus (astra surgebant polo
Jam multa) rerum Juppiter, dixit, parens,
Vituli mihi si reddis aspectum mei,
Lactentis hædi victimam lætam feres.
Vix triste votum nuncupavit inscius;
Adest minaci fronte cum torvus Leo,
Semesa vituli frusta, & effusum, nefas,
Lambens cruorem: belluæ vultus truces
Pastor tremiscens, voce compellat Jovem
Tremente rursus: Sortis haud gnarus meæ,
Nocitura petii, fateor; ast hædum prius
Si tibi spopondi; nunc Leonis efferi,
Pater, voraces fugere si fauces licet,
Habeto taurum. grande sic auctarium

Sol-

Solvit Bubulcus; & vicem doluit suam,
Qui fatuus esse nesciit miser semel.

In Funere PATRIS ANTONII VIERÆ
Concionatoris longè clarissimi, qui annos nonaginta natus in Brasiliâ diem obiit.

NUllis ergo silet silendus annis
Flos ille eloquii, disertus ille
Nestor Lusiadum, Pilij senectam
Æqui finibus æmulatus ævi: *
(Vano Græcia nam facessat ausu,
Quæ trisecli senem vocat, canitque.)
Favos Cecropios, Hymettiasque
Opes si sapit, Atticumque nectar
Parens Antilochi; VIERA sacro
Tanto dulcior ore mella fundit;
Actæum superant thymum, remotis
Quantum quæ procul advehuntur Indis
Cannæ Saccharides; referciuntque,
A magno positos Ulysse muros.
Sed non dulcisonos modos VIERA
Solùm Nestoris assequutus, addit
Ignitas rapidi faces Periclis;
Salesque, & Veneres Isocrateas;

Grajæ

* *Nestorem nonaginta annos vixisse, ejusque ternas ætates triginta annorum spatio ter evoluto esse confectas, Author est Lactantius.*

Grajæ quidquid & tuliſtis unquam,
Aut adhuc Latiæ ferunt Athenæ.
Quòd ſi flexanimus Senex Atriden,
Et prolem Thetidis trucem pudendis
Rixis compulit abſtinere; luctum
Nec producere Dardanis Puellis:
Hic fidens animis, potenſque fandi,
Reges * Heſperios propinquiore
Nexos fœdere non levis Scamandri
Arctis finibus explicare faſces;
Nullo margine ſed procul refuſo
Concordes docet imperare mundo.
Et, ſi Neſtoreis Minerva præſens
Dictis annuit; huic amica Pallas
Longè clarior adfuit; Tonantis
Pallas Filia celſa grandioris,
Guſtavi * Soboles; frequente Româ,
Multa & Romulidum Patrum corona,
VIERÆ meritos ciere plauſus
Vultu prodiga ſæpe liberali;
Dextram & tendere nobilem, relicto
Regni pondere ponderoſiorem.
Demum ſi titulos Pylo ſuperbos
Neſtor contulit, inclytumque nomen,
Surdâ quod prius Oppidum latebat,
Nullis laudibus, & favente Famâ;
Non ſecus Braſilis VIERA clarum
Nomen conciliat, decuſque terris:
Quæ nunc exuvias beata tellus,

Et

* *De utriuſque Indiis eidem Principi ſubjiciendis diſſeruit: Hiſpaniæ, & Luſitaniæ Regibus nova cognatione conjunctis.*

* CHRISTINA *Suëcorum Regina* P. VIERÆ *ſtudioſiſſima.*

Et magnos cineres fovens, tegensque,
Attollit caput; Et Peruviorum
Gazis non, reor, invidet superbis.

Apologus. HOROLOGIUM SOLARE, & HOROLOGIUM MACHINARIUM.

HInc levigato marmor æquatum sinu,
Tuæque Mimus, mensor astrorum, viæ
Umbra notabat indice errantem diem:
Vocalis illinc aderat, & pulsu frequens
Moles citatam docilis horarum fugam
Monere: sævis quam ferox conviciis
Sic increpabat Solis interpres lapis.
Longâ Britannus te licet curâ Faber
Limarit; annos pervigilsque perpetes,
Axemque, trochleamque, denticulos, rotas,
Mirâque libram, cyclicamque lingulam
Æquarit arte; claudicas tamen brevi
Vitiosa cursu; prodis & fluxam fidem.
Immodica labi, contumax frænos pati,
Diem rotatu sæpe præproperum rapis:
Ignava lento sæpe dum torpes gradu,
Horas rebelli sistis invitas morâ.
Infida, fallax, fædifraga, centum dolos
Versare docta flexuosis orbibus,
Redire stultas nempe ad Artificis manus
Cogeris in annum septies: dispendio
Certoque vendis vafra tinnitum brevem:
Servire pompæ scilicet solûm juvat

Mi-

Micante Zonâ pendulam: crepundia,
Bullasque turbæ sufficis comatulæ.
Phænissa non me tænia, empticium decus,
Aurumque tenui temperatum bracteâ;
Sed usque certus, integer, recti tenax
Commendat usus: ille me coarguet,
Falsumque dicet nempe, qui falsum potest
Dixisse Solem. Jurgia haud ultra tulit
Ærata moles; dentibus totis fremens,
Stridente tales reddidit nolâ sonos.
Tu certus index, fateor, agnatum doces,
Signasque Solem; gemmeo dum luteos
E Gange crines tollit, & curru polos
Æquat citato: fessus Hesperio latus
Sed amne postquam lavit, & subit nigris
Nox atra bigis, rore mortales rigans
Obliviosо; nulla tunc fides tibi:
Tunc certus ille monitor, & recti tenax,
Gnavusque cessas: ferias longas agis;
Et justa soli solvis atratus tuo.
Sed me laboris improbi expertem videt
Nec Phæbus unquam; tacita nec Phæbi Soror.
Glomerata rapior usque: naturâ loquor
Tacente sola; nulla properanti quies.
Loquaciorem ipsa faciunt silentia.
Ergo superbas pone nequidquam minas,
Mutilasque laudes: dona divisit Deus
Nam nostra sapiens: quoque egemus mutuò,
Præsidium in alio est; tu fidem certam tenes;
Ego longiora spatia; nocturnas vices.

Ad

Ad Eminentissimum Principem

CAROLUM CARDINALEM BARBERINUM; *exquisitâ librorum Copiâ, Barberinis formis impressâ, Authorem magnificè munerantem.*

O Lux Romulidum, decusque Patrum;
Cujus Pieriis sacrare chartis
Conatus titulos, remotioris
Quotquot mentis in intimos recessus,
Et sacraria Pectoris reposti
Præstans contulit, abdiditque virtus;
Hæsi ter, quater, affluente circum
Novarum segete hinc, & inde laudum.
Qualis mollisculos Puella flores
Prato vellere dum flagrat virenti,
Nunc illos studiosa, nunc & illos
Incerto probat, eligitque voto;
Compos nullius interim: pererrat
Flores sedula cura dum per omnes,
Curas copia præpedit, manusque;
Nec legit teneros Puella flores.
Te Cœlo super aureis quadrigis
Attollit Pietas; amorque recti;
Et blandi Gravitas Comes pudoris.
Tu quidquid Latiis, Achaïcisque
Ætas inseruit vetusta chartis,

Do-

Docto digeris assequutus ore.
Nam quòd Palladias benignus artes
Expanso foveas sinu, juvesque;
Hoc tu nomine nos scias ademptum
URBANUM viduis negare Terris.
Nec me præteriit benignitatis
Rivus aureus ille; BARBERINIS
Formis edita, splendidoque cultu,
Bonarum monumenta litterarum
Quem distendere latius minutos
Conclavis forulos monent, jubentque.
Quas tibi meritas vices rependant,
Nostræ, CAROLE, non habent Camenæ:
Quod solùm tenues habent Camenæ;
Quot volumina docta tu dedisti;
Incultos, reor, invenustulosque,
Tornatos Criticum parumque ad unguem,
Tot tibi Hendecasyllabos remitto.

De Myrmecidis Statuarii Quadrigâ, quàm extentis alis musca cooperiebat.

QUadrigam specularibus rotatis
Ægre quam videas; semelque visâ,
Hospes, desieris stupere nunquam;
Insani patiens Faber laboris,
Ex Indo secuit toreuma dente.
Hac crassum mage Mentoris lacernas
Ramentum tegit; Artifex Carysti

Picta frigora cum feveriori
Hinc, atque hinc parat expolire cœlo.
Sentire hæc culicem poteft volantem;
Quin & papilionis acta pennis,
Ad Lunæ juga fabulofa poffet
Audaci Comes ire Luciano.
Rubefcit folio tenaciori
Rofarum coma odora blandularum,
Veris delicium elegantioris.
Agellum magis occupat recentis
Flos nardi, violæque, amaracufque,
Aut quæ picta per arva mollicello
Crefcunt tenuia Iflieta filo.
Majores maculæ crepufculorum,
Cum ferum jubar, Occidente Sole,
Longas montibus explicat tenebras.
Offenfæ magis intumefcit undæ
Bulla; purpureos tegens Tyrannos,
Bombix vifcera latius refolvit.
Sed fi parva; tamen venufta, & omnes
Tantillo in folio refert lepores,
Omni candidior nive eft, & omni
Cycno, marmore, lilio, liguftro;
Atque ipsâ quoque purior columbâ,
Cum lactentibus hinc, & inde pennis
Haurit lucidulos aprica Soles;
Aut ripâ viridante cum nitentes
Mundi gurgitis arbitratur undas.
Quam bellè radios leves rotarum,
Et axis grave pondus, apfidemque, &
Temonem tulit artifex trabalem!
En curru fuper infidens Magifter

Longis quadrupedum ferociorum
Ora fervida temperat lupatis:
Et torto male fulgurans flagello,
Assurgit, fremit, ardet, in tremenda
Pronus verbera pendet: at jugales
Amico juga delicata collo,
Et legem rigidi ferunt capistri.
Celsa argenteus humor ora lambit,
Et per colla fluens eburna, molles
Cervices juba dividit, decorâ
Per latos humeros & errat umbrâ.
Excudant alii Corinthiorum
Cœlo mollia signa doctiori;
Jugo Mulciber & gemente totis
Lassetur Liparæus in caminis;
Insano ut paret Essedum Gradivo;
Sive belligeræ ægidem Minervæ;
Malarumque venena viperarum,
Et squamas liquido exprimat metallo, &
Tortis Gorgona crinibus revinctam:
Vulcanum, Steropemque, Mentoremque
Pusillâ Faber hic præit quadrigâ.

Apologus. HIRUNDO, & AVES.

CUm prima lini semina inverso solo
Veteres Coloni traderent; præsagiens
Clades futuras, tristis ingemiscere
Visa est hirundo; & flebiles voces ciens,
Sic alloquuta dicitur pictas aves.

Agi-

Agite, Sodales; turba confertim, ocyus,
Huc omnis advolate: sementem impigris
Eruite rostris noxiam: decerpite
Invisa properè grana; quæ vobis gravem
Olim ruinam, Dii quod avertant, ferent.
Illam monentem sana despexit levi
Caterva fastu stulta: nam, minutulum
Ecquid nocere semen, ajebant, queat?
Simul & vetusta tecta sylvarum, domos
Notasque Dryadum remigrant; cantu dies
Falluntque longos. interim lini recens
Austri tepentis flamine herbescit seges.
Sapiens hirundo rursus huc, illuc vocat
Temere vagantes: densa depascat cohors
Lactentis herbæ primulas frondes, monet;
Certam pigellis nempè perniciem fore,
Inulta si grandescat in messem lues.
Sed surdo, ut ajunt, fabulam: ut supra, modis
Monitrix hirundo, vultibusque incommodis
Irrisa passim. simplicem vocant, rudem,
Meticulosam; gentis ut probrum suæ,
Inauspicatum atque fugitant piaculum.
Tunc illa sociis nunciat longum vale;
Saltusque patrios deserens, Urbes petit:
Ibi celsa tecta prævolat, gyro redux
Fallente semper; congerens loquacibus
Nidisque pabula, colit auratas trabes.
Jam jamque lini rusticæ vellunt manus
Fruges adultas; carminatas pectine,
Rhombi fatigatasque staminei rota,
Quas in dolosa retia labor villicus
Abire cogit; alitum longum malum.

Nam mille pedicas, mille tendiculas brevi,
Paſſiſque laqueos, Aucupes ditant lucro;
Simulſque recreant; ultimiſque hirundinem
Monuiſſe vera prædicant clamoribus:
Quæ, marmorata dum frequentat atria,
Ædeſque celſas divitum; teruntii
Tricas ſuarum non facit tribulium.

Fabula de Bambalione.

BAmbalio, nomen bardus ingenio ſuum
Indeptus, aridum licet caſſæ nucis
Cerebro putamen non adæquaret levi;
Ilia tamen ventoſa, prætumidum jecur
Dulci trahebat ebrius philautiâ.
Sibi ipſe ſoli nempe Tireſias ſapit;
Umbras inanes, cæteram turbam putat;
Vappaſque, fungoſque; mera ſæcli incommoda.
Humana vecors nec ſugillabat modò,
Thraſonicis plus impudens minaciis;
Sed, quæ Sator, parenſque naturæ Deus
Exegit ad ſuperni amuſſim conſilj,
In jus vocabat ſannio plenus ſui,
Inaniarum ſcilicet; nullis caput
Jugeribus expiabile ellebori ſatis;
Nulliſque monſtrum Februis luſtrabile.
Fagineus iſte Momus Urbi proximos
Surgente in hortos verſpere itabat frequens:
Nam volupe fuerat, algidis Favoniis
Pulmonis atri ventilare ſepias;

Fa-

Famemque commodâ ambulatiunculâ
Excire; posset quò saburrare oppidò
Voraginosi ventris Euripum gravem.
Per culta glebæ viridis infaustos gradus
Temere ferenti consitus cucurbitis
Patescit hortus. Indicam, Niloticam
Videt, Sabellam, Turcicam, Magnesida.
Aderat sativa, fossilis, capraria,
Striata, lævis, corticosa, ductilis,
Cum sessilique pergulana, tortilis,
Anguina, turbinata; quæque erraticis
Reptat flagellis; quæque, claviculas agens,
Aspera tenaci prensat ungue rudera:
Vernacula aderat, pensilis custos salis;
Bacchi futura & hospita lagenaria.
Cucurbitarum vulgus omne, cognito
Bambalione, (nempe grandescat mihi
Hic etiam oportet, turgeatque oratio)
Bambalione vix, ut ajebam, procul
Ventrosa viso turba surgit illico;
Et prona curvat signa; Centuriæ præest
Nempe ille Chiliarcus; ut qui regiam
Collo decenter insitam ficulneo,
Majusculam, Prætoriam, Stratioticam;
Quâ vacua Regna nec Magis Democriti,
Circumferebat arduus cucurbitam.
Sed ille sibi medullula est mentis bonæ;
Jecur Thaletis, corculumque Socratis;
Merum salillum. serpere errantes solo
Ergo rotundas conspicatus filias
Oleris pusilli; vah, malum! insaniam,
Exclamat. ut-ne caulis exilis ferat,

 Te-

Tenerrimusque ponderosa germina?
Jacere terræ quæ necesse postmodum
Noctes, diesque ventre sit inglorio?
Apage stuporem inscitiæ. sic pejerat;
Gressus simulque iratus aliorsum movet.
Vix paululum processerat; Cœlo Nucem
Cum fronte celsâ surgere intonsam videt.
Procera multum planta; sed minutulos
Fætus ministrat, tunica quos obit triplex.
Callosa prima est cortice ex herbaceo;
Timenda noctu turba quo Lemurum nigras
Manus colorat: mox subit putaminum
Carina duplex: hanc aquis jaciens Puer,
Ludicra & aptans hinc & inde suppara,
Brevi catino simulat Actiacas rates;
Quamvis nec ille simulat Actiacas rates;
Nam turba quem vocamus Oceanum rudis,
Brevis est catinus; & nucum putamina,
Altis minantes puppibus Liburnicæ.
Demum latentes nucleos membranula
Mentita tenues obsidet subuculas.
Loculos quaternos, limitum vindex, tenet
Lignosa sepes; regna partitur pari
Utrinque vallo clausa; grandiusculos
Ultraque fines porrigi fratres vetat.
Ubi vidit altis, parvulam prolem, nuces
Pendere ramis; hui, feroculus refert
Bambalio, rem ridiculam! obesa, prægravis
Frugesne ut arbos tanta tantillas ferat?
Istos lacertos par erat cucurbitas
Fulcire; agreste ut nucleos leves olus
Melius tulisset. scita Cælestis fori

Sic

Sic fatuus ille Cenſor, Ædilis novus,
Et jura ſummi deſpicit Citorei.
Superos cachinnis dum laceſſit improbis,
Frontem impudentem languidus gravat ſopor;
Rabioſus illum ſive conciliat furor,
Et laſſitudo; ſive amurca phlegmatum,
Fuligionoſis bulliens præcordiis:
Ergo, ut ſub altâ fronde conſtiterat Nucis,
Illius ad umbram ſternitur; trunco ſimul
Cunctis reclinat debitum Diris caput;
Versâque ſurſum fronte, ronchiſſat probè.
Circum, loquaci ludibunda ſibilo,
Strepebat aura; quæ juglandis obvias
Laſcivá dum pererrat, & movet comas;
Celſo revulſus nucleus ramuſculo,
Recto volutus calle; ſeu caſus tulit;
Seu conſilj vis altior; nares ferit
Bambalionis; nempe peccabat magis
Quâ parte Nebulo: qui, ſopore ad ultimam
Thulen remiſſo; Juppiter, clamat, malum!
Depulſor; Averrunce, ſuccurras, Pater.
Dum furere pergit; Setaboque rivulos
Fluidi cruoris excipit ſudario;
Generoſus ille nucleus, pedes prope,
Jacere viſus. excidit vultu color;
Diriguit actutum; & femur cædens manu;
Commeritus, Hercle, dixit, has pœnas tuli;
Quem non, pudore fronte raſâ funditus,
Impingere dicam puduit Authori Optimo.
Apage, genus Titanium; nugas meras:
Nam ſi tuliſſet ligneas cucurbitas,
Quæ me gravi mactavit infortunio,

Jaculata fruges arbor hæc minuſculas;
Numerò perieram: jam mea tranſegerat
De pelle pellio. retexo perperam
Nunc dicta, mentis ſanitati redditus.
Bonus ille cuncta providè exegit Deus:
Ego ſtipes, agri terminus; brutum pecus;
Homuncionis umbra, Margites, culex,
Bambalio purus. ſic loquutus in viam
Se, luce dubiâ, conjicit modeſtior.
Dormivit altùm, naribus catapaſmate
Noctu obvolutis; plurimos ſodalibus
Riſuſque naſus mane cretatus dedit.

Apologus. MILES & TUBA.

MArtis ſecutus aleam miles gravem,
Sub aſperis jam pellibus tranſegerat
Hyemes frequentes; vulnerumque emblematis
Illuſtre pectus inquinarat ſplendidè:
Labore, & armis feſſus haud quidquam tamen,
Indignum! honeſtæ rettulit mercedulæ.
Ergo educatus liberè, clarus domi,
Honoris arces invias poſtquam ſibi;
Canoſque premere caſſidem ingratam videt;
Prudens Gradivi ſterile non ultra vovet
Arare littus, irrigandum ſanguine.
Quin immo flammis tradere obtenta undique
Inviſa ſtatuit arma; & aggeſtas ſimul
Litare Nemeſi ſarcinas Martis juvat.
Nec mora: capaci ſubdialis atrio

Col-

Collucet ignis: huc acinaces jacit,
Pylocastra, bolides, fistulas, falcunculos,
Cum plumbeâque glande restes igneas,
Arcus, pharetras; omne telorum genus.
Illuc sonoram conjicit demum tubam:
Formidolosis quæ favillis proxima,
Quo nempe pœnas crimine has tanto luam?
Commota dixit: non mihi ferro agmina
Adaperta, tristi clade sternuntur solo:
Fugax per auras non phalanges obvias
Tumultuosâ nube missilium peto:
Quæ vulnera tulerim, ostende; quas letho nocens
Dederim catervas: imbui cruoribus,
Ferroque latebras pectorum scutarier,
Non esse partes tu probè noscis meas.
Sublata, miti vel quiete perfruor,
Tibicinis humeris; integro aut dulces sonos;
Aurasque tantum ferio. Non voces tulit
Miles dolosas. igne tu, dixit, magis,
Nocesque ferro; quam vocantem scilicet
Solùm secutus ignis, & ferrum nocet.
Tu corda crebris suscitans clangoribus
In acerba trepido fata subsultu rapis.
Ripæ cruentis decolores amnibus,
Excisa muris oppida, incensæ domus,
Aggesta campis & quot horrent funera,
Tua sunt. sceleftas persequi clades grave est;
Jubere gravius. i, ferox; ultricibus
Liquesce flammis; auribus murmur meis
Non dulcius datura; quàm, stridens focis,
Cum querula sonitus nempe non reddes tuos.

Apo-

Apologus: EQUUS, ASINUS, & MERCURIUS.

EQuus, & Asellus de indolis præstantiâ
Rixam ciebant, Arbitro Cyllenio.
Equus superbâ fronte sic orsus prior.
Rivalis iste meus, inertiæ typus,
Solo ferox, tumensque suggestu aurium;
Demens equinæ granditatem despicit,
Laudesque gentis. magna titulorum seges,
Debere longum fustibus ludibrium;
Quernosque baculos, faginosque singulis
Perfringere horis quattuor: summum decus,
Agnatione scipiones nobili
Cute saxeâ contingere; Herculeæ labor
Domare clavæ quam fuisset irritus:
Quod ut juberet excidisse callidæ
Miror Novercæ: parcere anguineo Cani,
Poteratque monstris illa contenis; cute
Bellumque in unâ mittere in compendium.
Sed illa, Thuscis inserenda annalibus,
Laus altera stupidi pecoris; ignobiles
Subire dorso sarcinas ultroneo:
Med as per urbes ire clitellarium,
Costas onustum calce, cæmentis, pice:
Humeros catervæ vel locare Villicæ
Male quæ manu, ferulâque funalem regens,
Inepta crebro membra succussu quatit;
Lutoque risus mersa puerorum ciet,
E calcitrone devoluta strenuo.

Hæc

Hæc decora jactet, venditetque plurimùm
Auritus iste quadrupes molarius:
Equina namque pluribus præconia
Censere, Maja nate, me multùm piget.
E gente nostra Cyllarus, Xanthus fuit;
Nosterque Pegasus ille, Castaliæ Pater
Alatus undæ: quamlibet longum moror
Quid hæc minoris æstimanda? Lucidum
Radiante curru quòd ferat Titan diem,
Honor est equinus. Fabulosa forsitan
Commenta sed hæc dixeris: Mavortios
Sed nunc honores disce; quâ nostrum genus
Primâ superbit laude. me pugnas juvat
Miscere celeres; pulveremque bellicum
Efferre pulsu præliantis ungulæ.
Clamore Asellus hic rudens incondito;
Huc te volebam, Pegasi Nepotule,
Xanthique, dixit: Mercuri, longas strophas
Non ego, Forique fimbrias Asiatici,
Ut iste, sector; lege Spartanâ brevis,
Pressusque dicam. quòd trucem Martem ferat,
Protervus iste debet extincto mihi:
Equos in arma Timpanum nostro vocat
Corio laboratum: improbus lacessere
Audetque vivum, pelle qui claret meâ?
Dixi. libratis partibus, Caducifer
Judex vocatus hanc tulit sententiam.
Orbem rotundi post peractum sæculi,
Uterque rursus huc redite: nam petit
Lis tanta curæ, temporisque pluscululum.

Apologus. CAMELUS, & JUPPITER.

TRisti Camelus æger invidentiâ,
Orasse fertur talibus summum Jovem.
Cum me nec altæ molis amplitudine,
Nec Taurus æquet viribus; frontem, Pater,
Tamen ille cornu utrinque munitam gerit;
Quod pegma formæ servit, & tutamini.
Mihi contra inerme tollitur, brutum caput,
Nulli timendum. cuspidata fortior
Sinas ut arma fronte turritâ feram.
Juppiter amarùm risit: & nostrum, refert,
Erit mederi, quâ tumes, insaniæ.
Non tua petenti tela, quas geris, tibi
Aures revellam: fædior, monstrosior
Ut sit Camelo nulla perficiam fera.
Damnis in ævum posterum erudies tuis
Aliena virtus quos adurit invidos.
Sed pœna dispar fuerit: auriculas geres
Tu namque mutilas; cubito at illis amplius
Aures, pudenda monstra, producam suas.

Apologus. RANA, & AVES.

CAnora fontis Rana muſcoſi caput
Vitreum colebat; vinculo diutinæ
Junctas habebat quæ neceſſitudinis
Nemoris propinquos inquilinos alites.
Æſtiva ſed cum finderet campos dies,
Omniſque multo Sirio areret liquor;
Aves rogabat; ſi perire funditus
Nollent Sodalem, ut inde ſublatam loca
In aquoſa ferrent. annuit bonâ fide;
Opemque ſpondet agmen aligerum: ſibi
Negotj at addit plurimum faceſſere,
Certam ferendi ut oneris expediant viam.
Namque inſidentem ſi ferant humeris; metu
Perculſa, curſus impetuque corruat:
Filo ſequatur nexa ſi pedibus Duces
Ardua petentes; aura ne commotior
Spiret, cavendum; nam ſecus pediſſequa
Ruat implicata Ducibus in faſcem ſimul.
Ubi multa ſunt rejecta; ſic demum vafra
Concludit acies. virgulam teretem, levem
Ut Rana mediam mordicus prendat; jugum
Subeant ſimulque hinc, inde partito agmine
Junctæ volucres: ſubditâ dum fulciunt
Cervice pondus; explicent pennas, ſecent
Auraſque longo lineares vimine.
Ergo propinquo deferunt nemuſculo
Virgam colurnam; dente quam mediam tenax

Dum

Dum Rana ſtringit; ter, quater volucres monent,
Ne ſoſpitalem deſerat ramuſculum;
Dentes revellat inde non ullo migrans
Turbatâ caſu; quidquid audierit, ferat;
Durâ & Laconum concoquat patientiâ:
In hoc ſalutis cardinem verti ſuæ.
Stomacum virilem Rana dum ſpondet; cohors
Pennata utrinque virgulæ jugum ſubit;
Mediumque in auras ſublevat ranunculum.
Sociæ paluſtres, axe dum celſo rapi
Vident Sodalem: ſtulta quò, clamant, iter
Urges negatum? in maximam malam crucem
Abi: Dii omnes te, Deæque perduint,
Ingrata rebus quæ relinquis aſperis
Fide ſorores cognitas longâ tibi.
Perſtricta probris Rana, præcepti immemor;
Quid noſtra vobis, dixit, eſt profectio
Curæ, Sodales invidæ? ringamini
Nunc liceat omnes. excidit hianti ſimul
Divina ab ore virga; naufragii fuit
Quæ tabula. præceps concidit; ſaxo ferit
Illiſa cerebrum; quo carebat ſcilicet.
Fabella quod nos admonet, dicam brevi.
Solas Amyclas perdidit ſilentium:
Damnoſa plures perdidit loquacitas.

ANA-

ANACREON
RECANTATUS,
SIVE
ANACREONTIS ODÆ,
Quo extant ordine
PER TOTIDEM PALINODIAS
Ad honeſtiorem ſenſum accommodatæ.

A

CAROLO
DE AQUINO
Societatis Jeſu.



ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis. MDCCI.

Superiorum Permiſſu,



Typographus Lectori.





UO sunt, Lector benevole, de quibus te amicè appellatum, ac magnoperè rogatum velim. Primùm, cum recantatum hic legis Anacreontem, ne rem sic accipias, quasi Authori satis fuerit, pro minus verecundis, quæ in suavissimo Poëtarum passim occurrunt, quoquo-modo modestiora reponere: cujusmodi fuit eorum consilium, qui sacras Comædias, Terentii Christiani; Heroïca sacra, Christiani itidem Virgilii nomine publici juris fecerunt. Longè aliud illius propositum esse, persuasum habeas: qui ità demum Græco Vati inhærendum sibi constituit; ut eundem licentiùs exerrantem, veluti collato pede, ad regium Virtutis, aut certè honestæ voluptatis gignendæ tramitem perpetuò deducat. Quod tam anxiè, religioseque tuetur, ac servat; ut, sicubi ab Anacreontis fabulis, commentisque deflectit; à detorquendâ in diversum sententiâ nunquam discedat. Legisti

haud dubiè, marmoreum Victoriæ simulacrum advectum à Persis in Græciam, in effigiem Nemeseos à Græcis Victoribus fuisse commutatum. Non absimile quidpiam hic recognosces. Pudibundum, ac bene moratum Anacreontem exhibeo tibi; nec tamen ex alio marmore, lignoque, ut sic dixerim, continnatum; quam ex ipso molliculo, ne quid gravius dicam, nec satis sobrio Anacreonte. Rem, tractatione plùs nimio fortasse, quàm reputas, laboriosam; & duram, per Musas, Provinciam quàm feliciter Author explicaverit, ex tuo judicio, quam ex meâ prædicatione malim intelligas. At, inquies, næ tu, bone Vir, nugaris suaviter; atque adeo rem tuam nimis oscitanter, supineque pertractas. Nam, qui utriusque operis conferendi nobis salivam moveris, tuam etiam debueras ad has lautitias conferre symbolam; utque ipsum in primis Anacreontem apprimeres, in te negotium recipere; nec, mancam dimidio, mutilamque editionem festinando, expectationem publicam frustrare, atque ipsi operi fraudem facere. Bene est: Occupasti alterum, quod eram te præmoniturus, &, quo demum perspecto, tibi, si non rem ipsam; studium meum, voluntatemque probabo. Sic enim habeto; me non semel, sed iterum, ac tertiò cum Authore multis egisse, ut mihi copiam

face-

faceret, aut non gravato animo acciperet, si Anacreontis Odas accuderem, editionemque integram adornarem; aut saltem initiales Odarum versiculos, earumque titulos adscriberem; quibus, ad excitandam reliquorum memoriam, digitum intenderem iis, qui essent in Anacreontis Lectione versati. Sed, ut id impetratum auferrem, nullis machinis devincere, nullis officiis devincire hominem potui, caeteroqui haud sanè difficilem. Nihil, ajebat, moræ in se futurum fuisse, quo minus Anacreonticas Odas accudi sineret; si, quàm sunt elegantes, tam essent verecundæ. Neque enim se ad captandam gratiam, sed ad solidam studiosorum utilitatem hanc operam impendisse; nec tam, ut doctiores illos, quàm, ut meliores faceret, cogitasse. Se nescium non esse, si quid huic operi esset gratiæ, id omne sine eo adminiculo periturum; verùm sibi non sui commodi rationem ducendam, sed incolumis servandi eorum pudoris, quibus ad hæc legenda otium suppeteret. Eò demum suas has Vigiliolas dumtaxat spectasse, ut ingenuis Adolescentibus commonstraret viam, ad sacra, & honesta argumenta transferendi venustissimum illud Inventorum genus, quo Græci Vates, profanos amores tractantes, mirè luserunt; Anacreon verò supra omnem modum excelluit. His, at-

que talibus cum mihi ſpem omnem auctioris Editionis ille praeciderit; ſupereſt, Lector Optime, ut hoc incommodum devoremus; atque hoc, quod vetus eſt verbum, Catone contenti ſimus. Reliquum eſſet, ut de ipſo Anacreonte, & hujus Poëſeos genere aliquid ſubjicerem; tum de iis, qui aut mellitiſſimas Odas vernaculis numeris complexi ſunt; aut eaſdem commentariis, gloſſematis, caſtigationibus illuſtrarunt. Verùm de his habes valdè multa in eorum Præfationibus, qui in hoc vertendi, exornandique Anacreontis curriculo induſtriam ſuam exercuerunt. Eadem hic repetere non eſt operæ: nec eas mihi partes arrogaverim, ut tam nobili Palladis peplô meum & ipſe pannum aſſuam.

PALI-

PALINODIÆ
IN
ODAS ANACREONTIS.
IN ODEN. I.
PALINODIA
De Lyrâ profanos amores refugiente.

MEa barbitos profanos
Lusus, jocosque nervis
Ut personet canoris,
Rogat Aliger Diones.
Testudinem, fidesque
Sed occupavit omnes
Cœlestis ardor ille,
Amor, Deusque, flammâ
Spirabilis perenni.
Mihi molle carmen ipse
Jam cœperat Cupido
Dictare; Tejosque
Modulos docere buxum.
Sed barbitos protervos
Iterum perosa amores;
Solum sonabat ignem,
Non Regna qui, subactas

Pessum deditque gentes,
Fletu, cruore, sævis
Et perfruens ruinis;
Sed qui, Salutis author,
Patris, sinuque Verbi
Exortus, effluensque,
Quos corripit, magisque
Consumit intus, illos
Ditat magis, beatque.
Pharetratuli, procaces,
Multumque fabulosi
Ergo valete Amores:
Castum sonat, Deumque
Testudo nostra Amorem.

IN ODEN. II.

PALINODIA

De Potentiâ Divinæ Fidei.

JActare somniatrix
Jam desinat Vetustas
Vastos Typhæa montes,
Ossamque, Pelionque
Movisse tortuosis
Tractabiles lacertis:
Et belluosa centum
Tyrinthium cruentâ
Stravisse monstra clavâ.
Sed & Propago solers

Achiva, fabulosis
Quæ vera miscet audax,
Jam parciùs superbum
Xersem ferat; vadosum
Calcasse cum profundum
Vanesceret, resossas
Et navigasse terras.
Sincera cui pudicum
Pectus Fides obarmat,
Inermis ille montes
Nutu revellet uno;
Terras & arva Ponti
Compescet ille, vanos
Fastus agente Xerse,
Tyrinthioque, & ipso
Potentior Typhæo.

IN ODEN. III.

PALINODIA

Amor Hospes illusus.

O Bliviosa Cœlum
Nox altior tenebat,
Et decidente largos
Suadebat imbre somnos;
Ictu foris frequenti
Pulsata cum quietum
Mihi dispulit soporem.
Exsurgo semisomnus:

Hoc

Hoc noctis, Ecquis, inquam,
Vecors, ferusque postes
Cædit; fragore noctem
Turbatque imaginosam?
Cum non ineleganti
Puer refulsit ore;
Versâque fronte sursum,
Procaculis labellis,
Opem, beatè, dixit,
Amabo, fer trementi;
Quem pessimos per imbres,
Per algidamque brumam,
Nudum, rudemque, tantùm
Nox sæva non peremit.
Descendo, voce blandâ,
Fletuque captioso
Commotus; ostiumque
Recludo: At, hui; malorum
Quantùm domum repentè
Induco! nam Deorum,
Hominumque pestis, ille
Puellus adstat Hospes.
Ludens periculoso
Nec me fefellit astu:
Nam conspicatus arcum,
Et noxias sagittas;
At tu latere nunquam
Poteris, superba, dixi,
Gnidiæ Propago matris.
Subiit simul voluntas,
Mulctare fraudulentum,
Tot cladibus superbum,

Tan-

Tantisque ubique partis
Victoriis ferocem;
Et vindicare cæsos,
Centumque, mille, & ultra
Iterumque mille, & ultra
Miserculos amantes:
Quos inter ille certo
Me destinarat arcu,
Ut assolet, petendum.
Ergo manus rigentes
Cæpto fovere palmis;
Nodoque convolutos
Detergeo capillos:
Anhelitus cientem
Mox assidere jussi:
Pictam manu pharetram
Sed interim resolvo;
Quam clanculum silensque
Asporto, quà repostus
Hesternus ignis arcti
Spem sustinet camini.
Hic inter advoluta
Sarmenta, arundinesque,
Perfracta tela, & arcum
In mille frusta sectum,
Amoris arma, lætis
Do pabulum favillis.
Sublata flamma largo
Ubi post reluxit æstu;
Cytheridos Puellum
Accerso: Qui salubri
Recreatus igne; damnis

Et

Et propriis refectus;
Postquam recessit omnis
Algor, madorque; nervos,
Arcumque poscit: udo
Si fors relanguet imbri,
Fas, inquit, experiri.
Nil æstimans, inermem
Quem feceram, Tyrannum;
Absumpta tela flammis
Fidens, ovansque narro.
Exsurgit; efferâque
Irâ, dolore demens;
Infide, perduellis,
Injuriose, dixit,
Sic sancta jura, leges
Sic Hospitium vereris?
Audi, resumo, fidum.
Artes fuere nullæ
Tibi, ter scelesté, mecum.
Nunc gratulare nobis:
Illæsa corda perstant
Mihi; de tuis sagittis
Tu videris, proterve.

IN

IN ODEN. IV.

PALINODIA

BALTHASSARIS *Assyriorum Regis fatale Convivium*.

BEli Nepos, frequenti
Procerum, Ducumque cœtu,
Vinctus rosis capillos;
Et aureâ receptus
Spondâ, putres Lyæi
Ridebat inter haustus:
Crateras & profano
Contaminabat usu,
Averterat Sionis
Quos impius verendo
Prædator ante Templo.
Sed abrogata sceptra,
Fines brevesque vitæ,
Non ambigenda summi
Præscripta Regis, atrox
Cum dextra nunciaret;
Non ille criminosum
Calamum, notasque passus,
Elanguit repente;
Excussit & rosarum
Inominata serta;
Projecit & Lyæi
Culpabiles trientes.

IN ODEN. V.

PALINODIA

HELIOGABALUS *Convivas rosis opprimit.*

INter dapes opimas,
Ridente purpuratos
Excepit ore Patres
Chlamydatus ille Tortor;
Phœnissa Terra primùm
Phœbi sacros honores
Cui, Delphicasque Vittas
Dedit; probrum Latinis
Mox Fascibus remisit.
Dum largiùs potitur
Incauta turba donis
Cererisque, Liberique;
Lacunar hospitales
Fluentium rosarum
Respergit imbre mensas.
Hilaravit illa Patres
Festiva depluentis
Primùm procella Veris.
Sed pleniore nimbo
Ubi mox dapes, thorosque
Lues odora mersit;
Ubi post gravata præceps

Elisit

Elisit ora turbo;
Non se prius Tyranni
Irâ, doloque cæsos
Sensere, quâm sepultos.
I nunc, rosasque lauda,
Virgunculas pudentes:
Fastos revolve: nunquam
Sentes, rubosque tantâ
Sævisse clade nosces.

IN ODEN. VI.

Palinodia

In illa Stultorum verba Isaj. 22.

Edamus, & bibamus: cras enim moriemur.

SOluta cum receptat
Fidelis ossa tellus,
Si mobiles abiret,
Recederetque in auras
Vigor ille, qui favillas
Primi fatetur ignis;
Tibi, Turba, commodarem
Forsan benignus aures,
Quæ læta complicatis
Ter increpas choræis:
Comedamus, & bibamus;
Nullumque sit, voluptas

Quod

Quod non amica Pratum
Pertranseat; prematque.
Quòd si leves ad astra
Cursus redux adornat
Pars illa mortis expers,
Senioque victa nullo;
Vel tu, procax, graviqùe
Prognata Turba cæno,
Adipale mitte Carmen;
Sodalibus vel illud,
Tactis nitente Circe,
Duri canas Ulyssei.

IN ODEN. VII.

PALINODIA

Amor Navicularius, Irrisor, & irrisus.

AMathusidis Puellus
Clavum regebat amplà
Navarcus in triremi.
Numerosa Turba puppim
Proramque jam premebat.
Spondens inane sudum,
Zephirosque blandientes,
Me spumeos in æstus
Vocarat ille, ponto
Non credulum doloso.

Ubi

Ubi vidit obstinato
Littus tenere voto;
Neptunios per agros,
Infida vela solvit:
Coorta sed repente
Fœdis procella nimbis
Cæcas agebat undas.
Tunc Aliger relicto
Petivit astra clavo.
Dum mergitur furenti
Quassata pinus Austro;
Gemitque stulta pubes;
Errat voraginoso
Vel insepulta ponto;
Plaudentibus protervus
Ridebat ille pennis:
Oculisque me malignis
Ab axe conspicatus,
Identidem fremebat.
Sed sospes ipse; Rector
Fatuæ, puelle, Turbæ,
Non me dolere, dixi;
Non me perire cernes.

IN ODEN. VIII.

PALINODIA

Somnium Authoris.

DApes ferente parcas
Refectus ante cœnâ,
Somnos leves trahebam;
Lodice convolutus,
Quam molle non Tarentum,
Dives deditve Sidon;
Sed quam tuis, Jugurthæ
Victor superbe, lavit
Propola vilis undis. *
Mihi Teutonum videbar
Bellator inter alas
Sævam ciere pugnam;
Budæque celsa captis
Inferre signa muris.
Displosa bellicosis
Tormenta mille bombis
Audire tunc videbar;
Clangentium fragores,
Et æneos tubarum.
Invisa cum Juventæ,
Quæ Palladem frequentat,
Celsâ sonora Turri

Fata-

* *Aquis Marianis, quas Marius ex agro Tusculano Romam derivavit.* Vulgò Marrana.

Fatale Nola* murmur
Edit; trahitque segnem
Ad Rhetores docendos.

IN ODEN. IX.

PALINODIA

Columba, relicto Veneris curru, lætabunda.

AMorque, suaviumque
Paphiæ, Columba, matris,
Quò tendis? inquietas
Cur excutisque pennas,
Alas sueta longo
Vix commovere cursu?
Subsiste jam parumper
Ad arborem comantem,
Quæ pandit hospitales
Hinc, inde læta ramos.
Amice, dixit, (altas
Simul rogata frondes
Tenuit, laboris impos)
Amice, vincla rupi,
Et inditas habenas;
Queis Cyprios agebam,
Servire adacta, currus:
Et nunc, potita Cœlo,
Extergere expeditis

* *Nola maxima Collegii Romani, quæ bis in diem pulsata discipulos vocat ad ludum litterarium.*

Conabar uſque pennis
Non maſculos odores;
Invita colla, & alas
Quibus imbuit Dione.
Optatius vagari
Per teſqua, perque ſaltus;
Et improbam nigranti
Famem levare bacchâ;
Servire quàm lupatis,
Dominæque ferre ſemper
Faſtidium ſuperbæ.
Nec Cyprios amores,
Benigniuſque Numen
Ingrata ſic negarim:
Candente me cibaret
Seu dextera Cytheris;
Seu traderet bibendum,
Quod haurit ipſa, nectar,
Quâ potat ipsâ gemmâ.
Tenellulo receptam
Sinu fovebat uſque;
Lactente lacteumque
Pectebat ungue collum;
Fragrantibuſque centum
Saturabat ipſa ſuccis.
Habenulas gerebam;
Auroque, purpurâque
Hera quas vigil paravit.
Utcumque ſumptuoſo
Sed educata cultu,
Largoque dives oſtro,
Servire tranſigebam

Mæſtos

Mæſtos coäcta Soles.
Urebat altiuſque
Ægram, parùm pudicæ
Jugo ſubeſſe Divæ.
Hanc Cyprios in Hortos
Ductâre nunc jubebar,
Adonidem petentem:
In pineos receſſus
Et nunc virentis Idæ;
Spartæ graves amores
Tibi vendat ut, ſceleſte
Phryx Arbiter Dearum.
Præſtat, remota, præſtat,
Iterum fatebor, arva
Luſtrare, perque Valles
Errare confragoſas;
Silvis laborioſum
Et quæritare victum.
Sed, hèm; malum! Diones
Hæc illa, mirtus, arbor
Eſt; qua volans reſedi.
Soluta vincla collo
Dum cogito per auras;
Dum fabulamur, Arbos
Suſpecta me fefellit.
Valeas, Amice; Ramos
Amathuſios relinquo.

IN ODEN. X.

PALINODIA

Vipereum Amoris monile, Metanææ donum.

MEtança confluenti
Juvenum, Senumque Turbæ
Vendebat axe dignas,
Auſtera Virgo, merces.
Laguncularn ſalubris
Emebat ille fletus;
Cineres parabat alter,
Ut inquinaret auro
Malè fulgidos capillos.
Dum diſtrahit cruentis
Aſperſa flagra guttis,
Setaſque, cuſpideſque,
Extantibuſque duras
Haſtilibus catenas;
Se Virgini ſuperbus
Tulit obvium Cupido.
Multùm decora, verùm
Mihi, Virgo, nota nuſquam,
Dixit, meos in uſus,
Si Pyxides tot inter,
Tot inter arculaſque
Tu quidpiam reſervas;

Orna-

Ornare quod venuſtum
Magis, magiſque poſſit;
Quanto jubes redemptum
Paratus ære tollam.
Cui Virgo; Tu ſagittas
Geris aureas, Puelle;
Humeros pharetra pulſat
Sciteque picta nudos:
Cincinnulos decenter
Torſit perita Mater;
Depinxit ora fuco;
Geminaſque pexit alas;
Quas explicas Columbâ,
Cycnoque molliores.
Eburna colla solùm
Scelus eſt carere torque,
Qui defluente pectus
Recidens obumbret auro.
Libens ſed ipſa tradam
Aptum monile, gemmis
Et aſperum coruſcis.
Quod omnibus repoſcit
Dum captus ille votis,
Inſtatque; Virgo pictam
Manu recludit arcam.
Illic latebat, arcto
In ſe obvoluta nodo,
Immitis aſpis; ultrix
Animi nocentis illa,
Comeſque; mella amoris
Quæ ſubſequens amaro
Statim inficit veneno:

Curam vocant voracem;
Cor numinis relicti
Quæ conscium remordet.
In pectus illa prensam
Hanc conjicit Puelli:
Quæ lividos inhærens
Per nuda colla nexus
Producit, explicatque.
Dum saucius, gemensque
Puer infremit; Virago,
At hoc monile, dixit,
Tu neutiquam revelles.

IN ODEN. XI.

PALINODIA

In illa verba S. Hilarionis: *Septuaginta annis servisti Deo, & adbuc times?*

ÆGyptii recessus
Cultor verendus ille;
Camæna quem severo
Negat illigare versu;
Hilarem sonare prima
Vox incipit; sed hæret
Medio retenta cursu.
Inhospitalis, inquam;
Plagæ colonus ille
Sic, Morte jam propinquâ,

Se

Se fertur allocutus:
Horrentis, abditique
Annose cultor antri,
Ecquid paves supremâ
Formidolosus horâ?
Niloticis arenis
Ætas peracta duros
Tibi longa per labores;
Tot conditi precando,
Tot redditique Soles;
Lacrymæque, pectorisque
Custos dolor pudici,
Spem lætioris addunt,
Fiduciamque vitæ.
Verùm, facesse fallax
Plerumque spes, levisque:
Si quid tot axe dignum
Forte egerim per annos,
Ignoro prorsus; illud
Non me latet, fugitque;
Magis esse tunc timendum;
Extrema transmigranti
Magis hora cum propinquat.

IN ODEN. XII.

PALINODIA

Amor Piſcator.

AUdite ſomnianti
Quod contigit, Sodales.
Cytherejus ſilenti
Mihi nocte viſus Ales,
Procul abditis ſagittis,
Piſcator ut, jocosâ
Calamis vacare dextrâ.
Metus æger hamus; eſca
Pellax erat venuſtas;
Et capta denotabant
Incauta corda prædam.
Scopulo reclinis ille
Dejecta fila ſolers
Dum tendit, extrahitque;
Rapido citata curſu,
Adſtat timenda Piſtrix.
Murmur, fragorque Ponti,
Quo fertur illa, ſomnum
Evanidum removit.
Nimis heu, nimiſque noſtris,
Nereu, fragoſe damnis:
Si paululum fuiſſet
Productus ille ſomnus;
Ceto voratus, orbi

Non imperaret ultra
Arundifer Tyrannus.

IN ODEN. XIII.

PALINODIA

Ad Scabiem Cupidinis Alexipharmacon.

CUpidinis nocentem
Si quis furit furorem,
Vel algidas per undas;
Assisias ut olim,
Mersos volutet artus;
Vel cuspidata nudis
Premat vepreta membris;
Velut ille, quem salutat;
Colitque Terra primum
Nursina Cœnobitam.
Jugulatus omnis ardor
Sic protinus recedet;
Nec, auguror, molesti
Cupidinis nocentem
Ultra furet furorem.

IN

IN ODEN. XIV.

PALINODIA

In illa verba Joann. 13.

Cum dilexiſſet ſuos qui erant in Mundo, in finem dilexit eos.

COmpellat ut rebellem
Amare te Supernus
Amor, ferire doctos
Ubique tendit arcus.
Si fixa cernis alto
Coruſca ſigna Cœlo;
Stellante torquet ille
Ignita tela Cœlo.
Si picta flore tellus
Te pellicit, rapitque;
Occulta, deliteſcens
Poſt ceſpites roſarum,
Intorquet ille tela.
Si fontis unda leni
Tibi deſilit ſuſurro;
Ne fide: certiores
Nam vibrat inde flammas.
E montium nivoſâ
Cervice, Vallibuſque
Petit ille te ſupinis.

Ve-

Venator impeditos
Si figis ære cervos;
Per lustra, perque saltus
Te quæritat, premitque.
Expansa vela vasto
Si Nauta solvis alto,
Non te sequax ab omni
Cessat ferire fluctu.
Propiusque posset ille
Ut te docere amorem;
Humana membra, nostræ
Subiit vicesque sortis:
Docetque amare cæco
Te vagiens in antro;
Docetque amare, tecto
Latere dum fabrili
Tot sustinet per annos.
Illum suprema demum
Cum jam maneret hora;
Lacesseretque duris
Acerba fata pœnis,
Potentiore telo,
Ut te feriret; ipse
Conversus in sagittam,
Tua corda, dulcis esca,
Tua corda, dulcis haustus,
Pervadit, irrigatque.
Quo tela nunc repelles
Umbone, fortis extra;
Si, cordis arce captâ,
Amor triumphat intus?

IN ODEN. XV.

PALINODIA

S. CATHARINA SENENSIS, *rejectâ roseâ coronâ, ſpineam eligit.*

CÆleſtibus viretis
Lectos manu pudicâ,
Averſa cur repellis,
Etrhuſca Virgo, flores?
Cur vepribus rigenti
Caput inſeris coronæ?
Erras: reſumit illa;
Mihi nexa ſunt liguſtris,
Roſiſque, liliiſque,
Quæ ſerta tu moleſtis
Mones cavenda dumis;
Et, quæ revincta laudas
Tu liliis, roſiſque;
Mihi ſunt acuminatis
Vitanda ſerta dumis.

IN

IN ODEN. XVI.

Palinodia

Ad Amicum, Turcarum ad Viennam cladem carminibus celebrantem.

Polonicum Gradivum,
Lotharumque, Bojumque
Æquas Ducem canendo.
Metum, fugamque narras
Tu decoloris Istri,
Plus mille fœtus armis,
Qui Ponticas ad undas
Non invenire callem,
Septemfluo reluctans
Queritur volutus ore.
Tu Bistonum Viennæ
Refixa signa campis;
Ænotriam metuque
Longo canis solutam.
Ignava Turba frustra
Sed Bosphori superbo
Caremus hoste: nobis
Si nequior Tyrannus,
Malus imperat Cupido;
Victoris & timendi
Jugo redempta colla
Puelluli pudendis
Adstringimus catenis.

IN

IN ODEN. XVII.

PALINODIA

Aureum Poculum Eucharistico Epulo insculptum.

MYronis æmulator,
Ades, Myosque Sculptor:
Phialam rigentis auri
Mihi mollibus labora
Emblematum figuris.
Nisæ profectus altis
Sed non jugis Lyæus
Intonsus efferatas
Agat hic per arva Tigres.
Non me vireta Nisæ,
Vindemiâque tangit
Non purpurante Naxos.
Sed nec, furente Thyrso,
Mihi Mænades corusco
Insaniant in auro:
Quales fugax retortis
Expavit Hebrus undis,
Cum Thracios per agros
Rhodopejum caterva
Laceraret acta Vatem,
Frustra feras agentem,
Et ipsa luctuoso,

Auri-

Aurita ſaxa cantu.
Noli, moleſta, noli
Novare fata: mitte
Malè ſobrias Puellas;
Ne forte præliantes
E poculo reſurgant;
Orpheoque morte ſolùm
Me comparem trucident.
Demum, natante muſto,
Mihi non lacus redundet;
Cupidinive junctus
Corymbifer Lyæus
Mellifluos eburno
Pede conterat racemos.
Hæc ſigna, imagineſque
Jocis, amoribuſque
Male perditus, ſupinus
Anacreon repoſcat.
Mihi clarius retuſo
Toreuma Surgat auro;
Inſculpe Soſpitalis
Divina dona Menſæ;
Bonus ille, mitis ille
Placabilem Magiſter
Quâ ſe ſuis Alumnis
Eſcamque, regiumque
Impertiit liquorem.
Non ille vina dulcis
Engaddeos miniſtret;
Potabilem propinet
Sed prodigus Cruorem
Quem mox, Patri litatus,

Lavacra fundet ægris,
Piaculumque Terris:
Hinc, inde fuſa, rite
Quem berbibat Cruorem
Electa turba. Velo
Sed perduellis ora
Involve Proditoris;
Vitale vertet, amens,
Qui Nectar in venenum.

IN ODEN. XVIII.

PALINODIA

De Calvâ inſculptâ in annulo ſignatorio COSMI III. *Magni Ducis Etbruriæ.*

TUam ferunt achate
Radiaſſe, Pyrrhe, dextram;
Muſas, Apollinemque
Ubi mira multiformi
Natura pinxit arte:
Maculiſque ſponte natis,
Eburna plectra, nervos,
Et barbitos latenti
Arguta luſit aſtu.
Qui primus è Latinâ
Orbi graves habenas
Injecit arce, gemmâ
Geſtabat annulari

Ar-

Armis trucem; minaci
Et lanceâ vel ipsi
Tritoniæ timendam
Te, Diva, quam sonanti
Colit Cythera fluctu.
Victor Leo ferarum,
Munitus ense dextram
Tibi, Magne, sed micabat; *
Inane sculptus omen.
Ambagibus, modisque
Cælata Sphynx dolosis
Dextram ligasse fertur,
Marti, gravesque Jano
Quæ nexuit catenas;
Et pace feriatum
Longâ beavit Orbem.
Quid Anchoram Seleuci
Recenseam; tuumque
Insigne, Galba, Proram;
Babiloniique, Perseu,
Te, Symbolum Tyranni? *
Me tesseras inanes,
Ænigmatumque cæcas
Offucias sequentem
Ad se rapit beatæ
Dominator ille Floræ;
Quo, Lydios per agros,
Regnante, gestit Arnus,
Tagoque, fabuloso
Feliciorque Hidaspe.
Sublimis ille fortis

* *Pompejus Magnus.* * *Alexandri Macedonis.*

Nam ſobrius; lutiq̃ue
Non immemor caduci,
Calvæ rigentis ora
Gemmâ notante ſignat
Scriptorias tabellas.
Felix Ethruſca Tellus!
Quàm recreat, beatq̃ue
Mors illa; ſuevit omnes
Quæ territare gentes.
Sed te, decus, jubarq̃ue
Regumq̃ue, Principumq̃ue,
Quibus efferam perenne
Præconiis per ævum?
Satis hoc verente nobis
Dixiſſe ſit Camęna.
Quæ dextra morte ſignat
Quidquid vovet, jubetq̃ue;
Jubet illa, perficitq̃ue
Nil morte dextra dignum.

IN ODEN. XIX.

PALINODIA

Aquæ Potores Laudantur.

AQuis redundat axis:
Aquis madetq̃ue tellus:
Tota eſt aquoſa Tethys.
Chryſtallinos liquores
Ergo decet frequentèr

Hu-

Haurire me, juvatque:
Ut sobrios Alumnos
Sebethus erudire
Solet, venustus amnis.

IN ODEN. XX.

PALINODIA

Stulta Amantium Vota.

STulti solent Amantes
Optare, frigidisque
Deos rogare Votis,
Ut, vel monile fiant;
Vel fimbriata vestis;
Si Diis placet, venustæ
Vel calceus Puellæ.
Quid sponte sic furenti
Voveam, precerque turbæ;
Si poscis: hoc misellis
Voveoque, comprecorque:
Statim ut monile fiant;
Vel fimbriata vestis;
Si Diis placet, venustæ
Vel calceus Puellæ.

IN ODEN. XXI.

PALINODIA

DAVID REX, *siti laborans, obtentam aquam Domino libat.*

REgum, decusque Vatum,
Idemque Pastor olim;
Armis, viâque fessus,
Pugnâ calente partam
Ægrè sitim ferebat.
Sed algidos anhelis
Cum faucibus tulisset
Latices amica cassis;
Longo labore captos,
Tibi Rex, Satorque rerum,
Libavit ille rores:
Cœloque fœneratas
Solo refudit undas.
Jacto liquore fortis
Plus illa dextra; fundâ
Stridente quàm minacem
Cum sterneret Gigantem:
Olli sed æqua tellus,
Paucis rigata guttis,
Palmasque, laureasque
Benignior resolvit,
Quàm fertili Canopo

Mes-

Messes ferant lutoso
Demersa rura Nilo.

IN ODEN. XXII.

PALINODIA

Ætna floribus allicit; flammis perimit.

HErbosa liberales
Quâ spondet Ætna flores;
Qui, nescius viarum,
Incautus errat; auras
Captatque mitiores:
Et nunc fluentis undæ
Æquale murmur haurit;
Rosamque nunc comantem,
Adonidemve carpit:
Insanus igne turbo,
Si, concitatus Austro,
Temere vagantis ora,
Pressumque pectus afflet;
Modò quos amavit, ille
Stratus repente pulsat,
Inane pondus, agros:
Miseroque mollicelli
Nil profuere flores;
Miseroque murmurantes
Nil profuistis undæ.

IN ODEN. XXIII.

PALINODIA

De Inani Sepulchrorum luxu.

SI lucidis ademptam
Signis metalla possent
Revocare sculpta vitam;
Prior ulla non teneret
Me cura; marmorato
Quam diligens ut ossa
Componerem sepulchro:
Ephirâ, Paroque, multâ
Et Tœnari ruinâ
Tectus libens jacerem.
Sed Mempheos superbæ
Si, Cariæque saxa
Cineres, nitore segni,
Non incitant sepultos;
Onerosa quid pusillam
Struem gravet Carystos?
Exilis æra curem
Quid ampla pulvis; ipsâ
Minerque, mentiarque
Quid fastuosus urnâ?
Me perbrevis silentem;
Levis tegatque tellus.
Quam si recens obumbret
Laurus virente fronde;

Niloticis jacebo
Non invidus Tyrannis.

IN ODEN. XXIV.

PALINODIA

B. ALOYSIUS GONZAGA, *vicinæ mortis certiorem factum, ludum se continuaturum, affirmat.*

SPectabilis, piæque
GONZAGA flos Juventæ;
De more feriatus
Curis laboriosæ
Cum luderet Minervæ;
Eburneos & Orbes
Trusatili feriret,
Impelleretque mensâ;
Spectator inter omnes
Amicior Sodales;
Quid, ludibunde, rerum
Ageres, Amice, dixit,
Tibi mors propinqua certis
Si nunciata signis
Mox afforet? vacarem,
Respondit ille, ludo;
Ut ludo nunc: studerem
Nihil remissiusque
Victoriâ potiri.

Lu-

Lusisse sic paratum
Sed ludere arbitratur
Qui fortè; quid sit ullam
Rem seriam, gravemque
Agitare, nescit ille.

IN ODEN. XXV.

PALINODIA

S. MARIÆ MAGDALENÆ *lachrymis curas mitigantis Prosopopæja*.

GRato quiescit omnis
Sopita cura fletu.
Cum lachrymas tepentes,
Salubre, poto, nectar;
Nil dulcius fateri,
Beatiusque potis
Experta cogor undis.
Cor angit, exeditque
Exacta per pudendos
Mihi Juventa amores.
Ubi noxiæ recurrit,
(Quæ centies in horas,
Et millies recurrit)
Ultrix imago vitæ;
Non parcit illa noctes
Torquere, non diesque.
Sed haurio fluentes

Si

Si rursus ægra fletus;
Grato quiescit omnis
Sopita cura fletu.

IN ODEN. XXVI.

PALINODIA

Coccolatis Potio litterarum studiosis perutilis.

CUm liba Mexicana
Me proluunt, fragranti
Medicata cinnamomo;
Apicios, Lucullos,
Vitelliosque ridens,
Geniale poto nectar.
Apollo tunc vocatus
Benigniore cantus
Dat provenire venâ:
Salebra nec fluentes
Retardat ulla versus:
Magis & subinde crescit
ANACREON modestam
Diffictus in Camęnam.

IN

IN ODEN XXVII.

PALINODIA

De Vino, & Cocolate.

EOa Regna, primo
Et quos colorat ortu
Aurora Dives Indos,
Lustrasse fertur Evan.
Primusque pampinosæ
Stupentibus colonis
Monstrasse vitis usus.
Sed non adivit ille,
Quos occidens revisit
Phæbea lampas, Indos:
Hinc, suspicor, capaci
Subacta vina prælo
Ignorat orbis alter,
Lænejumque nectar.
Ea damna sed resarcit
Beatiore potu:
De glande Mexicanâ
Bis, terque dulciorem
Namque exprimit liquorem;
Quem si vetusta nosset
Anacreontis ætas;
Anacreon relicto
Sapientior Lyæo,
Succis Americanis

Li-

Liceret ut potiri,
Mare barbarum remotos
Sulcasset usque ad Indos.

IN ODEN XXVIII.

Palinodia

De Imagine Deiparæ Virginis *à* S. Luca *depictâ.*

Tarsensis ò Magistri
Cultor, comesque, Pictor;
Loquente finge telâ
Divina Matris ora,
Divina Virginisque;
Quæ stirpe nata Regum,
Regumque Virgo Regem,
Enixa, spes, decusque
Mortalium, perenni
Hominumque, Cælitumque
Regina fulget ævo.
Telâ referre Matrem,
Tuum est, amice Pictor;
Calamo referre Natum,
Cui contigit. tabellâ
Quamvis peritus unâ
Hic prolis, & pudicæ
Parentis ora junges.
Ergo Parentis almam

Illu-

Illuſtret, explicetque
Gravitas verenda frontem,
Simulque grata; nullis
Et faſtuoſa rugis.
Genas utraſque tingat
Miſtus rubore candor;
Commendet & Venuſtas,
Deſponſa ſed pudori.
Pax, & modeſtus ardor
Geminos gubernet orbes;
Quibus ambiat nitere
Splendore victus æther.
Teretes tegat lacertos
Veſtis decora; pectus,
Eburneumque collum
Obnubat; & capillos,
Frontem, caputque ſupra
Adducta condat omnes:
Laciniâ fluente,
Sed teſſeram Salutis,
Crucem ferat, palamque
Oſtentet ipſa gyro
Radiata frons nitenti.
Nexæ manus receptum
Sine fulciant Puellum;
Talos fluens ad imos
Quem clara veſtis ornet.
Attollat ille dextram,
Spectantibus benigno
Bene apprecatus ore:
Admotus at ſiniſtrâ
Sit pectori Libellus,

Pu-

Puro Libellus auro
Intus, forisque scriptus;
Ubi, non legendus ulli,
Certus recenset Index,
Amica quos laborum
Virtus ad astra tollit.
Modulum sequute nostrum,
Matremque, Parvulumque
Cum, Pictor, expolitâ
Perfeceris tabellâ;
Longæva te sequetur,
Feretque Fama, qualem
Emortuis adeptus
Zeuxis nec ipse telis.
Nam quæ verenda surget
Spirans Imago, cursus
Æquabit illa Solis;
Impar nec illa Soli,
Radios, jubarque totis
Diffundet una terris.
Præsaga nam futuri
Si vera mens revelat;
Felix subibit ætas,
Tarpeja cum Tonantem
Rupes perosa celsis
Sternet piata saxis:
Asserta vindicatis
Et Roma cum jubebit
Turpes greges Deorum
Procul exulare Templis.
E collibus Latinis
Fulgens Imago frontem

Tunc

Tunc exeret; jugoque
Sublimis Exquilino,
Spatiis tenebit amplis
Aurata tecta; labens
Quæ fervidos per æstus
Metabitur recenti
Peregrina nix amictu.
Demum volutus annus
Feliciore sæcla
Cum proferet metallo;
Dabitque jura totum
Burghesiâ per Orbem
E stirpe natus Heros;
Tabella Gange multo
Saturata tunc, Tagoque
Meritas sacrabit Ædes.
Non unius decorus
Sudor, laborque Apellis;
Phidiæque, Mentorisque
Non unius perenne
Pretium, decusque; moles
Tholo minante surget
Ad astra; Regna solùm
Quæ non remota, gentes
Et exteras; sed ipsam,
Quæ nil stupere novit,
Cogat stupere Romam.

IN ODEN. XXIX.

Palinodia

Effigies Anacreontis.

Heliconidum Sororum
Jubar, decusque, Vatem,
Agedum, sagax, adumbra
Anacreonta, Pictor.
Sed exprimas Poëtam,
Suis Poëta chartis
Ut ipse se colorat.
Primùm decora Vatem,
Et ampla frons honestet;
Annosa spargat albis
Senecta quam capillis.
Hos implicata Laurus,
Ederæque flexuosis
Coërceant corymbis.
Innubilo sub arcu
Supercilj nivalis
Lux bina fulgurantes
Utrinque vibret ignes.
Si blandiente possunt
Colore verba fingi;
Fac defluant ab ore
Mellita verba, totis
Hyblæ referta cellis.
Sed otio fluentem,

Elanguidumque centum
Hinc ambiant, & illinc
Volubiles Amores:
Vetuloque lusitanti,
Tenerculoque certent
Illudere arrogantes.
Insultet ille capto,
Molitus imbecillis
Catenulas lacertis.
Face sed licentiori
Audaculus verendos
Incendat ille canos,
Et lauream coronam;
Irrideatque inanes
Titulos, superbiamque
Intactæ ab igne frondis.
Vatis voluptuosi
Testitudinem canoram
Pulset jocosus alter,
Quo tela torquet, arcu.
Vernantium genarum
Sed qui decore præstant,
Chiumque, Lesbiumque
Gemmantibus ministrent
E poculis Lyæum:
Nardoque delibutas
Rugas terant seniles:
Beatulumque circa
Senem tumultuosis
Pulsent solum choræis.
Hos inter ille turpi
Inglorius veterno,

Bacchum, Cupidinemque
Canat, licentiosæ
Risus, jocusque turbæ.
Demum, perite Pictor,
Talem velim colores
Anacreonta; qualem
Si se videret ipse;
Se se expavescat ipse
Inertiâ solutum:
Longisque fætus annis
Damnet leves amores:
Et improbum Bathyllum
Jubeat valere longùm.

IN ODEN. XXX.

Palinodia

Amoris *Statua in Fonte, ad Hortos Exquilinos.*

Ad vitreas opaci
Cupido fontis undas
Dum temperat sagittas;
Et mox, rigente lymphâ,
Eburna membra mersat,
Titanios per æstus;
Hunc Najadum caterva
Hinc, inde adorta, duris
Capit, ligatque vinclis.

Oculisque ad astra versis,
At si quis ò Deorum,
Dixit, severus ultor,
Feroculum, scelestum
His annuat Puellum
Rigere semper undis;
Orbem nocente flammâ
Qui corripit; jubetque
Aquas inultus inter
Vel Najades flagrare.
Audita vox precantum.
Stetit Aliger vetusti
Honos, decusque Fontis:
Ligusticoque membra
Dat compedita saxo.
Et nunc benignus Horti
Rigator Exquilini,
Tot alget inter undas,
Quot arsit inter ignes.

IN ODEN. XXXI.

PALINODIA

Aquæ Fontis Castalii Poëtas faciunt.

HEliconio liquore
Fera percitus canebat
Homerus arma, duri
Ulyssis & labores:
Dircæus & remota

Scan-

Scandebat astra cycnus;
Cæusque triste carmen,
Et næuias Alumnus;
Sed Lesbius ferocem
Ciebat ore Martem.
Heliconio liquore
Madens, Achillis iram
Pietate Mantuanus
Phrygiâ præire Cantor,
Æquare vel superbit.
Heliconio liquore
Satur, cruenta bella,
Sontes canitque Thæbas,
Et impium Capaneum
Vates; amica Siren
Quem candidis recepit,
Natumque fovit ulnis.
Heliconio liquore
Juvatque concitatum
Me nunc Anacreontis
Chelyn rosis revinctam
Sacro ferire plectro.

IN ODEN. XXXII.

Palinodia

Modus amandi Deum: Amare sine modo.

Si forte quis requirat,
Quales, amare certus,

Velim meos Amores;
Præſto ſit ille; noſtros
Recenſeatque Amores.
Ut non paventis ictum
Nati, Sacras ad Aras,
Amavit immolator;
Longæ Paterque gentis:
Ut Legifer, rubeto
Admiſſus æſtuoſo;
Ut Paſtor Ephratæus,
Non impiger Gigantes
Fundâ domare, lento
Languebat igne; tales
Velim meos Amores.
Quales, ſinu Magiſtri
Reclinis, hauſit ignes,
Qui, non timente ſiſti
Mox ingenj volatu,
Aquilas præivit omnes:
Amavit ut, remoto
Jactantior periclo,
Mox infidelis alter,
Sacræ comes catervæ;
Caputque mox futurus:
Amavit ut, ſolutis
Cum Magdalis capillis
Victrix Deum teneret,
Fletu & potente: tales
Velim meos Amores.
Ut Cœlitum caleſcit
Soluta ponderoſo
Dilecta turba velo:

Pro-

Propinquiore flammâ
Ut conflagrant, superni
Ferenda jussa Regis,
Nutus & explicatis
Qui præstolantur alis:
Sed & Parens Tonantem
Quæ rustico Puellum
Enixa fovit antro,
Puroque lacte pavit,
Ut flagrat ipsa; tales
Velim meos Amores.
Cœlestis ille tandem
Ut ipse se per ævum
Amat perennis ardor;
Si fas amare tantum,
Magno locusque voto est;
Ardens & ipse tales
Velim meos Amores.

IN ODEN. XXXIII.

PALINODIA

Curæ profani Amatoris. ad Hirundinem.

HIrundo, quæ cruentum
Fugis Ismari Tyrannum;
De more nunc & Hospes
Benignioris anni,
Meos Lares frequentas;
Male fida, vulturina

Fuge tecta, quæ volatu
Vagabunda, ludibunda
Perstringis inquieto.
Fuge noxios Penates;
Luteumque velle nidum,
Arguta quem vetusto
Instas locare tigno.
Fuge vultures edaces,
Mea tecta qui pererrant.
Nutricios vocarim
Nam vultures, Amorem
Quæ subsequuntur, atras
Tempus per omne Curas.
Implumis ille vultur:
Alas repandit ille:
Caput ille promit anceps
Nec clausus in tepente,
Sed nec solutus ovo:
Recentibus virescens
Nec vulturina Curis
Fœtura cessat unquam:
Qui sunt adultiores
Alunt recenter ortos;
Quos explicare pennas,
Docentque cuspidato
Rostro ferire, ut ungue.
Crebrescit ingruentis
Stridens fragor catervæ;
Quæ mirè adaucta, totas
Coïnquinavit ædes.
Nunc atrio vagantur;
Conclave nunc penetrant:

So-

Solarium voraces
Imas ad usque cellas
Jam possident: culinam,
Penumque, balneumque
Immunda turba vastat.
In lectulo cubanti
Adsunt; nigrisque somnos
Alis procul repellunt.
Si languidum resarcit
Ceres, bonusque Liber,
Revellit ungue prensas
Obscæna turba fruges,
Nocentior Celeno.
Utinamque dona tantùm
Raperent diurna mensæ;
Nec, ut solent, in horas
Laniata corda morsu
Depascerent profano:
Raptoris ut superbi,
Quem Caucasus trecentis
Circumligat catenis
Fibras, jecurque semper
Infesta carpit ales.
Fera vulturum duella,
Casusque docta nostros,
Cessas, Hirundo, cessas
Hinc avolare? diri
Domus cruenta Terei
Tibi non timenda tantùm;

IN

IN ODEN. XXXIV.

PALINODIA

In illa verba Sponsæ. Cant. 1.

Nigra sum, sed formosa.

O Sponse, nigra culpis
Quòd sim, gravisque mille;
Cave, negligas amantem,
Cave, fugeris sequentem:
Nam me pudere vitæ
Si cæperit peractæ;
Uberque fletus atrum
Detergeat colorem;
Lustralibus repente
Formosa reddar undis.
Color ipse quin nigellus,
Animi dolentis index,
Bene candido jugatur:
Mage sæpius probantur
Sic alba mista nigris
Vacciniis ligustra.

IN ODEN. XXXV.

PALINODIA

Post Christi Domini mortem superstitiosus Deorum cultus evertitur.

CInctus virente fronde,
Et floreis corollis,
Superbiente Taurus*
Qui fronte nunc, peritâ
Minatur in tabellâ;
Felicioris ævi
Cum Conditor fugabit
Obscæna Monstra terris,
Crucis sacras ad aras,
Procumbet immolatus.

IN ODEN. XXXVI.

PALINODIA

Rhætoricæ summa vis, & efficacia.

BOna verba, scitulorum
Lusor senex* Amorum.

Quo.

* *Juppiter Europæ raptor in tabula. Vide Anacr.*
* *Anacreon in hac Ode parum commodè sentiens de Rhetoricâ.*

Quò te modesta Pitho
Convicio, probroque,
Noxâque provocavit
Iram merente tantam?
Si despicata Virgo
Hoc resciat; caveto:
Non tu feres inultum
Fastidium superbum.
Ut rere, non inermem
Ancillulam lacessis;
Nec tu madente tutò
Quam despuas cavillo.
Jaculo, potensque fundâ
Stridente, nam trisulcos
Rotat illa syllogismos;
Dilemmatumque centum
Cornuta tela torquet:
Et quos minax acervos, *
Chrisippe, tu ministras.
Pugnax Virago mille
Acinaces, sarissas,
Frameasque, lanceasque
Intorquet; igneoque
Tonat ore, fulminatque.
Quid, insolens Gradivi,
Quid audeas senectâ
Gelidus tot arma contra;
Baccoque, Cypriisque
Jam perditus sagittis?
Tu musteus lagenam

Dex-

* *Certus argumentandi modus, de quo vide Scriptores de Arte Rhetorica, & Commentarios in illum Persii versiculum Sat. 6. Inventus Chrisippe tui finitor acervi.*

Dextrâ tremente; lævâ
Eburneamque buxum,
Ridenda tela, gestas.
Quin protinus recanta
Incauta dicta; supplex
Properisque vince votis
Divæ potentis iram:
Tibi quam sequester ipse
Placabilem paciscor.
Tam dulce nam canentem
Te, dulcis ipsa, multùm
Amat, æstimatque Pitho.

IN ODEN. XXXVII.

Palinodia

Annus vitæ Magister.

Hyemalibus pruinis
Pars longa torpet anni.
Sibi reposcit æstas
Non impares, labori
Emancipata, soles.
Languet gravedinoso
Autumnus æger Austro.
Breve floribus renidet,
Breve ver amabilesque
Favonios reducit.
Intelligis quod Annus
Præscribit, admonetque?

Lon-

Longi, graveſque vitam
Exerceant labores;
Quam non cavenda perdat;
Attemperata ſolùm
Sed condiat voluptas.

IN ODEN. XXXVIII.

PALINODIA

Sileni exemplo ſenes à molli vitâ deterrentur.

ÆVo tremens inerti,
Silenus ora rugis
Sulcata jam gerebat.
Obſtante nil ſenectâ,
Sed improbos amores,
Et ebrios trientes,
Et ludicras amabat
Acherunticus Choræas.
Ridere vinolentum,
Ridere ſaltitantem
Verùm, proterva turba,
Non deſinunt procaces
Fauni, leveſque Panes.
Hinc languidos, aſello
Male quos adaptat, artus
Ferulâ ſonante cædunt:
Moris & ora pingunt,

Ebu-

Ebulique nigra baccis.
Senex erat verendus
Capularis ille multùm;
Nam fiſtulæ repertor,
Nutricius Lyæi,
Et præſcius futuri,
Non laude claret unâ.
Sed fiſtulæ repertor,
Vateſque tantus; altor
Severus & Lyæi,
Fatuos ſenex amores,
Choreaſque dum frequentat;
Magis hoc, magiſque debet
Riſum, jocumque lætis
Ridendus ille Faunis.

IN ODEN. XXXIX.

Palinodia

Ebrietatis deformitas, & vitia.

Tuo madeſcit, Evan,
Qui largiùs liquore;
Non ille duplicatas
Bene computat lucernas:
Rixantibuſque tignis,
Illi tremit lacunar:
Illi ambulant columnæ;
Lætique nuptiales
Montes agunt choræas.

Tuo

Tuo madeſcit, Evan,
Qui largiùs liquore;
Vel torpet ille, Marſis
Ut Saga faſcinavit
Infeſta quem venenis.
Vel, impudente ſaltu,
Pulſat ſolùm, feritque;
Ut Appulus momordit
Quem ſtellio, per agros
Licentiùs vagantem.
Tuo madeſcit, Evan.
Qui largiùs liquore;
Vel in timenda dulces
Crateres arma vertit;
Ut Theſſali Bimembres:
Furiata vel ſiniſtris
Ut Orgiis Agave,
Petit obvios furenti
Crudelis enſe natos.
Tuo madeſcit, Evan,
Qui largiùs liquore;
Sibi maligna ſæpe
Maturat ipſe fata:
Anacreon ut olim
Acino ſubivit Orcum
Jugulatus ebriosâ:
Nimis vices amaras
Cui rettulit Lyæus,
Protervulis, bibofis
Laudatus uſque chartis.

IN

IN ODEN. XL.

Palinodia

Lusus de Puero Jesu, dum serram duceret, vulnerato.

Cum Serrulam paternâ
Divinus officinâ
Traheret Puer; tenellam
Pupugit minuta cuspis,
Guttâ rubente dextram
Tinxitque. Mater illuc,
Tristes miserta casus,
Accurrit; effluentem
Exsugit & cruorem;
Manu fovetque vulnus:
Rigare quam perenni
Videret ora fletu
Cum Parvulus: quid autem
Commovit una tantùm
Te gutta Mater? inquit.
Secura pone fletus;
Aut hos volens reserva,
Fluenta fundet olim
Cum sanguinis trabali
Mihi dextra fixa clavo:

IN EANDEM ODEN.

ALIA PALINODIA

S. THERESIA *transfixo corde:* S. CATHARINA SENENSIS *sine corde vivit.*

Pictis Ephebus alis,
Cœlesti ab arce lapsus,
Ibericæ pudicum
Cor Virginis Sagittâ
Feriente victor hausit.
Procumbit illa; certam
Et vulnerata mortem,
Quam præstolatur, optat.
Ubi sed perinde vires
Superesse sensit; ictu
Gravique corda vitam
Adaperta non relinquunt:
Quid hoc inusitati,
Dicebat, astra, monstri est?
Superstes utne vivam,
Bellator ima corda
Cui tantus ære fixit?
Hæc inter obstupenti
Sed adfuit curuli
Invecta nube Virgo;

Lupa

Lupa cui dedisse turget
Lætas Ethrusca cunas.
Quid & stupescis, inquit.
Quòd perfruare vitâ?
Tu læsa corde tantùm,
Ibera Virgo, vivis.
Mihi corde vel revulso,
Et exulante longe,
Meliore Sole, & aurâ
Jam contigit potiri.
Hos noveris superni
Lusus, jocosque Amoris.
Exercet ille sæpe
Sic intimos Alumnos;
Mortalibus solutos
Quos legibus gubernat.

IN EANDEM ODEN.

Lusus Poëticus.

VErsos honestiorem
Ad barbiton recanto
Dum Tejos amores;
Perveneram venustâ,
Mellitulâque multùm
Ubi fabulâ docebar,
Mæsto Cythera Nato
Quid dixerit gementi;
Infesta cum momordit
Volucrem volucris ipsa

Apicula; osculari
Fors arbitrata dextram,
Temere rosas legentem;
Novis amica mella
Vel sugere è ligustris.
Ut flecterem prophanos
Ad honesta plectra cantus,
Omnes vias retento.
Sed irritam fatigat
Animosa cura mentem.
Serrâ rigente dictus
Hinc saucius paternâ
Mihi Domo Puellus,
Columen, salusque Terræ.
Iterumque mox supernâ
Dignum latus pharetrâ,
Cultrix Tagique, Virgo,
Te nobilis canebam.
Sed impares, rudesque,
Longeque subsequentes
Fatebar ipse cantus.
Phæbus manu revellens
Mihi tunc benignus aurem;
Eho; quid, inquit, ultra
Malè collocas inanes
Audaculus labores?
Fabella non recudi,
Demens, reposcit ista:
Hic ipse se recantat
Anacreon; Amorem
Ferá damna dum ferentem
Objurgat, increpatque:

Vanos omitte nisus.
Lubentiis refertum
Charitumque flore carmen
Æquare nam canendo
Nec Phæbus ipse possem.

IN ODEN XLI.

Palinodia

In illa verba Christi Domini Jo. 15.

Ego sum vitis vera.

SUm vera Vitis; agris
Sed non Opimianis,
Rhodiisque nata glebis.
Me non aprica Lesbos;
Me non jugosa Crete;
Nec protulit feraces
Methymna nigra colles.
Nondum flagrante curru
Coquebat arva Titan;
Prægnans liquore nubes
Pluviis rigare tostas
Nec cœperat novales;
Cælestibus viretis
Bene culta cum nitebam,
Spatiis coacta nullis;
Ignota quæstuosi

Et falcibus coloni.
Labentibus sed annis,
Hospes solum subivi;
Coluique Nazaræ
Intacta culta terræ:
Mox insitiva primùm
Bethlemicis in oris
Educta, blandientes
Cincinnulos, novellos
Et palmites ferebam.
Sublimis inde crevi;
Imbresque per cruentos,
Æstusque per malignos;
Statuminata clavis,
Durisque secta flagris,
Robustiore trunco,
Solimejos tenebam
Procera Vitis agros.
Cœlestis ille demum
Ruris Colonus, ægrè
Viduam jacere passus,
Tibi me, decora, dulcis,
Longis petita votis,
Sociavit Arbor; alto
Cui colligata Clivo
Hinc subditis pependi
Affixa, & hinc lacertis.
Celso jugata trunco,
Repente vina fudi,
Quæ præla Formianis
Non intulere cellis;
Sordens lacuque pressit

Non

Non vinitor Caleno.
Ubi ſed beatus omnes
Abiit liquor per oras;
Et ebrium piavit
Luſtralis humor orbem;
Revirente fronde, botris.
Iterumque me novellis
Victrix ad aſtra tollo,
Non ſarculos, ſeveræ
Morſuſque falcis ultra
Paſſura, nec bipennes.
Nec longa tranſmeabit
Ætas, utrumque Solem,
Vaſti ſinuſque ponti
Cum protegam, racemis
Per littus omne fuſis;
Amplectar & repoſtas
Umbrâ favente terras.

IN ODEN. XLII.

Palinodia.

Hercules molli otio deformatus.

Sordentibus ferino
Digitis cruore fuſum
Cum degener rotaret;
Tremeretque juſſa Lidæ
Tyrinthius Puellæ;
Riſit Noverca Juno,

Monilibus ligata
Robusta colla cernens,
Quibus astra, Cœlitesque
Impar fuere pondus:
Sidoniâque pallam
Humeros obire conchâ;
Sublatus unde terror
Nemeæus ille longas
Jecit decenter umbras.
Pacatus orbis illi,
Excisa monstra, & omnes
Periere tunc labores.
Orco stupente tractam
Jactet luem trifaucem;
Lernæ hospitem colubrum,
Tricorcoporemque tollat
Iberiæ Tyrannum:
Dum lenta pensa ducit
Manus otio relanguens;
Hydramque, Cerberumque,
Stymphalidasque, & omnes
Amisit ille pestes.

IN ODEN. XLIII.

Palinodia

Cicada Inertiæ: Formica Prudentiæ typus.

NEmusculi frequentas
O quæ virentis umbram;
Validosque Solis æstus,
Noto canora trunco,
Æstiva fallis ales;
Quàm me vices iniquæ,
Et acerba fata tangunt,
Quæ te vocant, manentque.
Valentulas fatigas
Tu læta semper alas;
Redintegras acutâ
Hilaresque voce cantus;
Pictis micasque pennis;
Tibique plaudis, omnem
Arguta dum pusillo
Obtundis ore Sylvam.
Sed te moveret algens
Si bruma, quæ propinquat,
Arbusta voce demens,
Non finderes inani;
Labor omnis in fugaces
Tibi nec periret auras.

Heu

Heu ter, quaterque fato
Te flebilem finiſtro!
Cum pigra ſtringet annus
Hibernus arva; frontem
Properata cum nivoſis
Hiems jugiſque tollet;
Imbri, geluque victa,
Stultos egena cantus,
Dulcem ſimulque vitam
Inhonora tunc relinques.
Hæc providens, futuros
Præſagienſque caſus
Formica, verberatos
Cum torret æſtus agros,
Patiens laboris eſcam
Humeris, levique nitens
Pectuſculo, repoſtas
Convectat in latebras;
Farris graveſque acervos,
Et horreum cavato
Studioſa ſtipat antro.
Mox, appetente brumâ,
Occulta deliteſcit;
Obſoniis paratis
Lautas ſtruitque menſas.
Induſtrius, nigerque,
Et granifer popellus
Caſus docere vitæ,
Varioſque poſſit uſus,
Non te, Cicada, ſolùm;
Quæ perſtrepens inerti
Mèal feriata cantu,

Bru-

Brumæque, languidæque
Non profpicis feneċtæ;
Sed Porticus alumnos,
Rixantis & Lycæi
Zenone poffet ipfo
Sapientior docere;
Docere poffet ipsà
Sapientior Stagirâ.

IN ODEN. XLIV.

PALINODIA

Vitæ minus honeftæ damna fomnio expreffa.

MIhi plura per foporem
Simulator ora Morpheus
Dum ludibundus offert;
Sublimis hinc rotato
Miferas Tridente turbas
Neptunus obruebat:
Gradivus inde letho
Numero dabat carentes
Mortalium catervas.
Nil, quod periret ultra,
Supereffe cum putarem:
Cyathum ferens Lyæus,
Blandum Venufque ceftum,
Vaftata funerabant

Per

Per mille Regna clades.
Minimùm nocere visus
Mihi tunc ferox Tridente
Neptunus; efferâque
Minimùm Gradivus hastâ.

IN ODEN. XLV.

PALINODIA

S. PAULUS APOSTOLUS A CHRISTO DOMINO *commonitus, ad bonam frugem se recipit.*

CÆlesti ab arce misso
Amor Supernus igne,
Postquam piavit orbem
Feliciter flagrantem;
Victor ferebat arcum
Et aureas sagittas:
Domito timendus Orco:
Sed pervicax, rebellis,
Minasque, sanguinemque
Spirans ubique Saulus
Negabat obsequenti
Jugum subire collo.
Quin impotens, aheno
Umbone fretus, hastâ
Et fulgurante, latos
Præ se metus agebat.
Tempus, locumque nactus,

Amor

Amor obvius sagittâ
Hunc sternit; & sereno
Effatus ore: tela
Nunc experire nostra,
Hostis superbe, dixit.
Equo volutus alto,
Et luce cassus ille
Frustra diem requirit.
Cui Victor: hinc amare,
Et arma ferre, dixit,
Feliciora disces.

IN ODEN. XLVI.

PALINODIA

Amoris profani certa pernicies.

RES est, amare, dulcis;
Dicebat Oppianus;
Primâ ferox juventâ,
Cirratulusque lætas
Cum duceret Choræas:
Nodosa sed molestis
Cum nexibus podagra
Ægros ligaret artus:
Cum depilatus; atrâ
Scabieque fœdus, omnes
Fugit infrequens amicos;
Res est, amare, dura;
Dicebat Oppianus.

IN ODEN. XLVII.

PALINODIA

David Rex nudus ante Arcam saltat.

CUm nudus ante sacram
Rex prosiliret arcam
Jessæus; ausa Conjux
Illiberalis illum
Vocare morionem.
Sed Rege major intus
Oculis erat Tonantis,
Qui, Scurra visus extra,
Fallebat impudentem.

IN ODEN. XLVIII.

PALINODIA

Vindiciæ Homericæ Lyræ.

ACcurre Musa; bella
Cui sunt, & arma cordi,
Invade Anacreontem:
Lyram, nefas! Achæi
Pertractat Ille Vatis, *
Vano labore nervos

Non

* Homeri Lyram in hac Ode poscit Anacreon.

Non bellicos requirens.
Tactu viden' soluto
Ut masculas, pudendum!
Enervat ille chordas?
Age, Diva, marcidique
Senis manu dolentem
Testudinem revelle.
Tibi debitas Pelasga
Reddet caterva grates;
Reddet ferox Achilles;
Redditque fortis Ajax.
Nam languidis lacertis
Torpere bellicosam,
Innoxiamque buxum;
Dolet ferox Achilles,
Doletque fortis Ajax.

IN ODEN. XLIX.

Palinodia

Annus Sacer saecularis Pictura expressus

Audis sonora, Pictor,
Metalla saecularem
Ut auspicantur annum?
Ut turribus fragorem
Dant aera pulsa sacris?
Sanctosque mox ituros
Lustrato ut orbe Soles,

Tibe-

Tiberina ter ſonanti
Indicit Arx boätu?
Mæſtas beante terras
Redeunte luce, lætam,
Et Orbis hoſpitalem
Effinge, Pictor, Urbem.
Conferta Vaticani
Ædem, Forumque turba
Fac compleat, prematque:
Sed Porticus capaces
Attolle, devoluta
Ubi mallei nitentis
Cæmenta ſacra ad ictus
Aditus diù petitos,
Et ſoſpitale pandant
Ad celſa Templa Limen.
Quòd ſi perita tantum
Permittit ars; dolorem
Appinge, lachrymaſque
Mœrentis Urbis, ægros
Languere quæ lacertos *
Malè ſuſtinet, ſaluti
Tot gentium recludi,
Piaculare, ſacrum
Quibus oſtium petebat.

IN

* Innoc. XII. *morbo detentus Sacrum Limen aperire non potuit.*

IN ODEN. L.

Palinodia

In Diem Sacram Cinerum.

Submitte colla ſacro
Cineri, ferox Juventus;
Regnante quæ Lyæo,
Pictis amicta larvis,
Dionyſiis, furebas,
Ut Orgiis aguntur
Mimallones Sorores:
Sed non comis receptus
Subeunda fata pulvis
Indicat ille, fædos
Prius fragrante Cypro
Quàm terſeris capillos.
Aſperſus ille, faſtu
Ventoſa corda, pulvis
Tunc protinus retundat:
Curas humoque merſas,
Et devias, Honeſti
In tramitem reflectat.
Sic parvulæ coruſcis
Dum præliantur alis,
Cient apeſque Martem;
Si jactus arte pulvis
Intercipit vagantes,

Redit immemor minarum,
Cellasque turba complet;
Et dulciora mella
Positâ laborat irâ.

IN ODEN. LI.

PALINODIA

Ulysses Sirenum Victor.

QUis elegans disertâ
Cælator arte finxit
Acheloïdes Puellas;
Et expedita fortes
Retinere vela Cantus?
Modos viden' procaces
Sopita per latentes
Ut haurit unda cautes?
Oblita & aura cursus,
Viden', silente pennâ,
Inebriata dulces
Ut combibit querelas?
Malo ligatus alto
Laërtius canoras
Sed præterit, carinâ
Procul volante, fraudes.
Quibus ille si paratas
Victus dedisset aures;
Immane vinolenti

Fru-

Fruſtra Cyclopis antrum,
Titaniamque Circen
Vitaſſet; irritoque
Vigil labore Conjux
Diſſolveret diurnas
Pudica nocte telas.

IN ODEN. LII.

Palinodia

Najadum Hymnus Lycurgo poſt Thraciæ Vites exciſas.

Cum, Thracios per agros,
Exciſa ponderoſis
Securibus jacerent
Vineta; nec refuſis
Hebrumque, Strymonemque
Prætexerent racemis:
Sic amnium feruntur,
Nymphæque vitreorum
Sic fontium locutæ.
Jo: canamus Jo;
Sublimis efferatur
Hilarique ad aſtra cantu
Bipennifer Lycurgus;
Noſtris removit oris
Veneficum, nigrantem

Qui sanguinem Lyæi.
Adeste nunc, Sodales:
Vacuis relicta campis
Sarmenta, palmitesque
Læto crememus igni:
Inter levesque flammas
Saliamus; implicatas
Ducamus & Choræas:
Cantuque ter secundo,
Jo: canamus, Jo;
Superisque par feratur,
Merito sacratus Hymno,
Bipennifer Lycurgus.
Threïssa non juventus
Lymphata compitali
Ultra furore sævit.
Nec, dum premuntur altis
E populis racemi,
Agrestiumque nudo
Pede pressa musta fervent,
Conviciosa pubes
Audet, nefas! vetusto
Effræna more, candor
Quæ ferre nec pudicus;
Sed nec referre possit.

IN ODEN. LIII.

PALINODIA

Granadillus. *

CAnamus eruditum,
Ad nos recens profectum
Indis ab uſque florem;
Novoſque Vere cultus
E barbaro ferentem.
Non frondibus cruentis
Inſcriptus ille monſtrat
Salaminium Tyrannum.
Tibi non, Adoni, debet;
Tibi nec, Puelle, vitam;
Effræna quem peremit
Vocalis ira Nymphæ.
Sed axe ſub remoto
Miſertus ille pœnas
Regis procul Superni,
Suos colorat artus
Veſtigiis, notiſque
Solimeji furoris.
Et cum ferina corda
Senſus necis probroſæ
Non tangeret, dolorque;

* *Flos Indicus vulgo Flos Paſſionis.*

Juventus in reposto
Flos orbe, luctuosam
Præsentiente mortem
Qui fronde, perduellem
Fragrans refellat ultor,
Coärguatque gentem.
Nam cædis auspicatæ
Fidelis ille Signa,
Satellitumque tela
Sinu loquente vulgat.
Nimis ille durus olim,
Mollescit hinc, acutus
Subhorridoque triplex
Nigrescit ære Clavus:
Sublimis inde frontem,
Sacri cruoris ostro
Madens Columna tollit.
Vernare quid rigentes
Mentita serta dumos;
Hastile quid refossi
Lateris sitire dicam
Undamque, sanguinemque?
Nam flos salubre signat
Quadratus ipse robur,
Nostræ salutis Author
Ubi noxias cruento
Piavit imbre terras.
Sic, Indicis in oris
Atratus arma duræ
Flos cædis indicabat;
Pictisque convolutus
Ornabat arva pœnis.

Seu natus ille primùm
Nova monſtra cum refudit,
Domino fremens adempto,
Caliginoſa tellus:
Ignotus ille longos
Seu prævius per annos
Flos vixerit; nefando
Proluſeritque letho.
Quæcumque, Flos, ad auras
Sed te vocavit hora,
Te molliter rigentem,
Auſterulum, jocoſum,
Lætumque, flebilemque,
Qui mille, Flos, honores,
Laudeſque mille miſces;
Qui me meos amores
Lugere vulneratos,
Lugere funeratos,
Memor ipſe, gratus ipſe
Doces, moneſque ſemper;
Mihi ſola tu voluptas;
Mihi cura tu, decuſque
Eris ultimas in horas.
Primumque fronde Regem
Ut exprimis, notaſque;
Cenſebere inter omnes
Sic primus ipſe flores.
Ne languidas reſolvat
Æſtiva flamma frondes;
Perennibus virentem
Te fletibus rigabo:

Brumalis aura molles
Et ne comas adurat,
Non te fovere parcam
Suſpiriis trementem.
Quòd ſiqua forte noſtri
Meruere ſerta crines;
Non æſtimata laurus,
Ederæve tortuoſæ;
Meos ſed ipſe cinges
Claviſque, Lanceiſque
Virentibus capillos.

IN ODEN. LIV.

PALINODIA

Potio Cocolatis ſenibus ſalutaris.

POcilla Mexicanis
Onuſtiora ſuccis,
Puer, ingeras frequenter.
Seneƈta jam propinquat
Rugoſa, luſcioſa,
Nitens levi bacillo.
Male ſit tuis ahenis
Quibus Æſonem recoƈtum

Ver-

Vernantibus juventæ,
Medea, reddis annis.
Male ſit Ducique Ibero, *
Qui comminuta membra,
In aggerata ſectum
Seſeque fruſta condi
Fimo calente juſſit;
Præceps carere vitâ,
Inſanit impotenti
Quam prorogare voto.
Non Colchici lebetes;
Novaculæ ſenectam
Non auferunt Iberæ;
Ingeſta ſed frequenter
Pocilla Mexicanis
Onuſtiora ſuccis.

IN ODEN. LV.

Palinodia

De Aulicis.

ABſtruſa corda, ſenſus
Et intimos revelat
Vario colore vultus.

Su-

* *Marchioni de Villena Nobiliſſimo Hiſpano, quem ſe fruſtillatim concidi, certiſque medicamentis imbutum, ut indè aliquando redivivus exſurgeret, vitrea in urna condi juſſiſſe, mendax haud dubiè fama tenuit.*

Subito rubore præceps
Depingit ira frontem.
Maculis, notisque livens
Color inficit malignis,
Sors, tabe virulentâ,
Aliena quos adurit.
Meticulosus albet:
Animus nigrescit æger;
Pallent leves Amantes.
Fulgor nitentis Aulæ
Sed quem capit; rotæque
Vinctum suopte voto
Ixionem gubernant
Regnantis ora; certis
Mihi notus ille signis.
Nam livet, albet ille,
Rubet, simulque pallet;
Promiscuos & unâ
Centum resumit horâ,
Et innovat colores.

AUTHOR

Ad Libellum Palinodiarum.

FUgitive, quò sinistro
Pede commigras, Libelle;
Audacibus caminis
Qui venditas recoctum;

Et malleo subactum
Tundis, scelus! retundis;
Novitioque priscum
Recudis ære Vatem?
* Pætiliæ notandam,
* Semproniæque frontem
Ne debeas, caveto.
Tibine melle puro
Mellitior Poëta;
Aganippidum Sororum
Medulla, corculumque;
Tibine blandus ille
Anacreon venustos
Miserè retortus artus,
Divaricatus, excors,
Cætus virûm frequentet?
Facinus recens, malumque
Graviter ferent Amici
Vatisque, Apollinisque, *
Qui Tejam Camenam,
Tuos, amica Phæbo,
Tellus Ethrusca colles;
Docuere bellicosum
Vel Sequanam sonare.
Ronsardus hoc gravatè
Feret ille Gallicanæ

Prin-

---

* *Petiliæ legi: de ambitu.*

* *Semproniæ legi: de Injuriis.*

* *Poëtæ illustres, qui Æthruscis, & Gallicis numeris Anacreontis Odas reddiderunt. Eos verò retulimus, qui nobis innotuerunt: quod propterea dictum volumus; ne, si qui fortè præteriti sunt, ii silentium nostrum sinistrorsum accipiant.*

Princeps, Paterque Musæ:
Bellovius simulque;
Longeperusque; molli
Et major Anna sexu,
Doctæque par Minervæ.
Quibus adde Regnierum,
Garumna quem canentem,
Tagus volutus auro,
Latiusque Tibris, ipse
Stupetque delicatis
Suspensus Arnus undis.
Sociata signa jungent
Capponus, igneoque
Torcillianus ore;
Et quos dedit canoros
Tyrrena Flora cycnos,
Corsine, te; sequuntur
Quem comptuli lepores:
Salvine, te; venustas
Quem munda tollit astris.
Acies, Libelle, vatum
Hæc te, timenda multùm,
In jus trahet vocatum
Si fortè; tu remisso
Sedatus ore; pauca
Sic pervelim reponas.
Qui me recens Libellum
Vulgavit Author, ipsum
Anacreonta lento
Fessus sopore vidit:
Ut assolet, venusto

Qui

Qui ſic locutus ore.
Grajâ potens Camenâ,
Qui blandulos amores,
Bromium Patremque luſi;
Latioque, Gallicoque,
Æthruriæque docto
Donatus ore, totum
Jam perlegor per Orbem.
Sed ſunt, ſeveriori
Qui fronte me repellunt,
Ut nequiter jocoſum,
Curii, Xenocrateſque.
His ut placere poſſim,
Te ſcilicet repoſco.
Hunc tu meis laborem
Impende, amabo, chartis;
Talemque me refinge;
Qualem Cato ſeverus,
Privignus atque Phædræ,
Audire commodaque
Veſtalis aure poſſit:
Effatus hæc, in auras
Receſſit ille: ſomnum
Tunc fronte terſit Author;
Chariqque juſſa Vatis
Obtemperans faceſſit;
Vigilique me lucernâ,
Morſoque navus ungue
Format; manuque mittit.
Audin? quid ergo, Vatum
Ultra moleſta torques

Tu

Tu me Caterva? jussit
Qui spòntè se recudi,
In Jus licebit ipsum
Vocare Anacreontem.

FINIS.

Errata

	Errata	*Corrige.*
Pagina 10. Verf. ult.	Urfos,	Urfos.
Pag. 17. V. 6.	ille diem.	ille diem ;
Pag. 20. V. 9.	fitiret	fititet ;
Pag. 22. V. 5.	referant ;	referant
Pag. 51. V. ult.	habet	habet.
Pag. 60. V. 12.	fivus	finus
Pag. 81. V. 6.	Aqnilas	Aquilas
Pag. 127. V. 7.	vitæ,	vitæ
Pag. 137. V. 8.	tbi	tibi
Pag. 160. V. 2.	Inde	Indi
Pag. 178. V. 11.	Jofuæ,	Jofuæ
Pag. 180. V. 3.	morfu	morfu
Pag. 219. V. 13.	benignos	benignus
Pag. 236. V. 9.	triduane	triduanâ
V. 11.	confragiofos	confragofos
Pag. 252. in Notis.	de utriufque	de utrifque
Pag. 217. V. 23.	commonftraret	commonftrarent
Pag. 272. V. 9.	beatè	beate
Pag. 284. V. 16.	Hofpitium	Hofpitum
Pag. 292. V 11.	Supetbæ	fupetbæ
V. 19.	ipsâ	ipfa
Pag. 296. V. 2.	numinis	Numinis
Pag. 305. V 20.	Snrgat	furgat
Pag. 346. V. ult.	Meal	Male

[illegible]



